

R. XII. 9. no. 218.



3154

2)

PENTATEUCHUS
MOSAICA

&

PLEIAS APO-
STOLICA,

Id est,

Quinque libri Moſis, & ſeptem epi-
ſtolæ Catholicæ, breviculis no-
tationibus illustratæ

Per

JOHANNEM-HENRICUM
Alſtedium.



HERBORNÆ NASSOVIORUM
Sumptibus Georgii Corvini & Johan-Geor-
gii Muderſpachii. 1631.

7

—/—E



PRÆFATIO

AD

Lectorem benevolum.

SAEpenumero cogitavi, Lector benevole, quâ tandem ratione sacrarum literarum lectio possit reddi oppido expedita. Occurrerunt autem hîc Notationes Emanuelis Sa, quæ adeo mihi placuerunt, quantum ad instituti rationem, ut post diuturnam disceptationem in hâc sententiâ conquieverim, nihil accommodatius in hoc genere ab ullo posse adferri, quod intelligentiæ & reminiscentiæ tantum adferat præsidium, quantum hic talis labor. Sane Notationes Emanuelis Sa hoc abundè præstarent, si vel plenæ essent, vel semper orthodoxæ, aut genuinæ, aut momentosæ. Sed quia bonus ille Homerus subinde dormitat in hisce quatuor, existimavi me rectè facturum, si universa Biblia percurrerem, o-

P R Æ F A T I O.

mniaq; & singula dubia brevibus & solidis Notationibus, quæ in exiguo volumine compingi queant, expedirem. In eo dum sum totus, ecce nascitur hic labor, quem hîc vides. Non habes hîc prodromum laboris nostri, sed superfætationem, ut ita dicam. Accipe igitur hoc quicquid est operæ, ceu vadimonium futuri operis, bono animo, & notationes nostras primo quoq; tempore à nobis expectata, si quidem Deus largiatur valetudinem. Scribebam Albæ Julia, Kalendis Aprilibus. 1630.

NERVUS



NERVUS RERUM
ET VERBORUM IN
PENTATEUCHO
MOYSIS.

GENESIS.

CAPUT I.

PRINCIPIUM creationis aliud est causæ, aliud temporis. Illud est SS. Tri- nitas: hoc est primum punctum, mo-
mentum, sive instans temporis, quod
appellatur primum Nunc, à quo cœpit
feria prima, id est, dies Solis, qui respon-
dit 25 nostri Martii, anno ante natum Christum 3949,
sive hunc præsentem 5577. In hoc principio æquinoctii
verni Deus creavit mundum: id quod potissimum ex eo
colligitur, quòd Deus hanc rationem anni, tanquam
optimam & naturalissimam, in anno sacro expressit.

2. Creatio, proprie dicta, est actio causæ universalis,
producentis rem in instanti, vel ex nihilo, ut *vers. 1.* vel
ex indispositâ materiâ, quæ est instar nihili, ut *vers. 27.*

3. Deus in primo temporis instanti creavit cœlum &
terram, hoc est, circumferentiam & centrum totius
mundi.

4. *Elohim* creavit mundum, hoc est, solus Deus, unus
in tribus personis, quem Moyses *cap. 2.* undecies appel-

lat Jehovam. Est autem nomen Elohim pluralis numeri, ut & Adonai, notans in Deo aliquam pluralitatem, quæ non est in essentiâ, aut proprietatibus essentialibus. Itaque necessè est, ut sit in personis. Et hoc innuit constructio numeri pluralis cum verbo singulari, fundata in subjectâ materiâ, quæ hoc in loco est creatio, quam Scriptura tribuit pluribus personis, quàm uni.

5. *Terra inanis & vacua*, primo die condita, sic dicitur, quia neque repleta, neque ornata, neque distincta fuit.

6. Primæ mundi *tenebra* fuerunt non tam privatio, quàm negatio lucis.

7. *Abyssus* fuit immensa aquarum vis & profunditas, symbolum abyssi essentiæ & operum Dei.

8. *Spiritus Dei* increatus, id est, tertia persona Trinitatis, tunc ferebatur super aquas, partim ut avis incubans ovis, illa fovendo; partim ut voluntas artificis fertur super rem poliendam.

9. *Dicit Deus* vel intra, vel extra se. Intra se, vel discernendo, vel gignendo. Extra se dicit, vel loquendo, vel tonando, vel denique jubendo. Hic postremus modus locum habet in hexaëmero: ubi Deus dixit, id est, iussit in filio, iussione architectonicâ seu principali, nutu videlicet voluntatis suæ vocando ea, quæ non sunt, ut sint: quomodo videmus Regem, ducem exercitus, vel nauclerum solo nutu aliquid efficere.

10. *Lux* est increata, quam Deus inhabitat: vel creata; & hæc incorporea, vel corporea; & hæc rursus est substantia vel qualitas. Lux primo die condita fuit substantia, quippe rudimentum solis, ejusque vicaria, utpote à quâ tres primi dies fuerunt effecti.

11. Lux & reliquæ creaturæ, factæ fuerunt *bona*, hoc est, opera Deo placentia & ipso digna, in se præstabilia, denique homini delectabilia & utilia.

12. Deus videt visione mentis, quæ est theórica, vel practica; & hæc posterior intelligitur in nostro hexaëmero.

13. Deus

13. Deus lucem appellavit *diem* in sensu casuali, non verò formaliter.

14. Dies est naturalis vel artificialis. Ille est præsentia solis supra horizontem: hic constat ex die & nocte, & dicitur *νοκτιμέρον*.

15. Expansum, vi vocis & subjectæ materiæ, notat extensionem magnam & firmam. Est enim cœlum circum circa extensum instar tentorii, quod non potest loco dimoveri. Et hætenus vox firmamenti potest habere locum.

16. Expansum aut est aquis superius, aut inter aquas superiores & inferiores interceptum. Illud est cœlum supremum & medianum: hoc est, infimum seu aëreum. Atque hæc distinctio facta est die secundo.

17. Aqua sub firmamento sunt aqua condensata: aqua supra firmamentum, id est, supra infimam aëris regionem, sunt aqua comminuta, id est nubes, & quicquid est meteororum aqueorum.

18. *Cœlum* est nomen totius *vers.* 1. vel partis *vers.* 8.

19. Aquæ inferiores primò ambiabant terram, adeoque ipsâ erant altiores, sed tertio die collectæ sunt in suos alveos: ita ut aliæ manserint dulces, aliæ effectæ fuerint falsæ & æstuentes, aliæ aliis qualitatibus fuerint imbutæ.

20. *Vegetabilia* in tres classes dividuntur à Moyse: in herbas virentes (id est, vestientes tantùm terram) herbas ferentes semen, & denique arbores.

21. Vis *germinandi* terræ insita non excludit actionem causæ universalis, sed ab illâ vi subordinationis pendet. Idem iudicium est de universâ naturâ, hoc est, vi illâ, quam Deus influit singulis momentis, eamque in esse suo conservat.

22. *Luminaria*, sic dicta à perpetuo officio, quadruplicem habent usum. 1. Distinguunt diem à nocte. 2. Illuminant terram & illuminando alterant. 3. Sunt signa distinguunt dies, annos, & tempora. 4. Sunt signa, unde sumuntur prognosticationes, partim naturales, putà

eclipsium & tempestatum; partim civiles, de agris colendis, plantis ferendis &c. partim spirituales, de instantibus periculis & mutationibus &c. Quod attinet ad prognosticationes genethliacas, illæ hæcenus sunt utiles, quatenus spectatur temperamentum hominis: superstitiosæ autem & impiæ, si extendantur ad illa, quæ pendent à merâ voluntate tum Dei, tum hominis.

23. *Stella* in duas classes disparantur: in luminaria magna & parva. Luminaria magna sunt duo, sol & luna. Et sol quidem est luminare magnum secundum rem, speciem, & virtutem; luna, non secundum rem, sed secundum speciem & virtutem duntaxat.

24. *Etsi animalia* constant compage omnium elementorum: tamen in aliis alia elementa principatum obtinent. Et ideo pisces dicuntur producti ex aquis. De volucribus dubitatur propter textum, Gen. 2. vers. 19.

25. Deus demum quinto die benedixit, quia hæc benedictio est nuptialis, quæ non ad nudam multiplicationem referri debet, sed ad nuptias & conjunctionem sexûs.

26. Deus bestiis terrestribus die sexto creatis non adjecit benedictionem, quia benedictio illius diei tota soli homini competit, tanquam principi.

27. Deus Pater ad Filium & Spiritum sanctum dixit: Faciamus hominem. Non enim potuit hæc dicere ad ullam creaturam, quam allegeret in consortium creationis, quia crassissimam contradictionem implicat, creaturam creare. Neque etiam honoris causâ sic loquitur, quia hoc insolens est in linguâ sanctâ, imò in omnibus linguis orientalibus. Itaque alloquitur eos, quos scriptura docet esse plures in unâ essentiâ.

28. Deus dixit: Faciamus hominem; quia produxit hominem aliâ ratione, quàm reliquas creaturas; videlicet corpus ipsius arte figulari sive plasmaticâ, & animam ipsius inspiratione singulari.

29. Deus fecit hominem ad imaginem & similitudinem suam, hoc est, fecit hominem sibi valde similem, ita ut ille

ut ille

ut ille sit imago Dei, secundum Christum (qui est imago Dei substantialis) maxime conspicua.

30. Imago Dei in homine est immortalitas animæ & corporis, integritas totius hominis posita in sapientiâ & justitiâ originali: denique potestas imperandi. Est autem vir imago Dei immediatè & principaliter, mulier mediatè & secundariò, I. Corinth. II. 7.

31. Verbis illis, Crescite & multiplicamini, continentur duo, benedictio & benedictionis determinatio. Benedictio est indifferens; quippe communis homini & bestię, & ideo non debet extendi ad propagationem animæ, quæ homini competit præ bestiâ. Determinatio est ratione conjugii, & proinde non excusat scortatores. Neque verò cum hâc benedictione pugnat, quòd Matth. 24. & Luc 23. gravidæ dicuntur maledictæ, & steriles beatæ; hoc enim dicitur ratione fugæ facilioris, & levioris sensus miserię tempore calamitatis à Christo prædictæ.

32. Deus esum carniū ante diluvium non prohibuit homini, sed verisimile est eum eo jure non fuisse usum; quia facilior & salubrior erat ratio victūs ex plantis, quas diluvium proculdubio deteriores reddidit. Itaque Genes. 9. non jus, sed usurpatio juris in bestias intelligi debet.

33. Omnia Dei opera erant valde bona, non absolute, sed ex hypothēsi voluntatis Dei: quia omnia in eo gradu fuerunt bonæ, quem Deus judicavit esse optimum. Neque cum hoc pugnat, quòd Levit. II. animalia dicuntur impura. Ista enim impuritas non est ex creatione, sed respectu usus ceremonialis; quia Deus quædam animalia segregavit ad repræsentandum sacrificium Christi, & ad populi Judaici pædagogiam informandam. Rursus venena, spinæ, & animalia homini noxia, ut bruchi, erucæ, &c. non demum cœperunt post lapsum, sed post lapsum cœperunt esse mala pœnæ propter malum culpæ. Atque hæc est ἡ ἐπίστις, quæ accessit ad φύσιν. Idem iudicium est de loco inferni.

C A P U T II.

1. **I**N hoc capite secundo dominatur crypsis methodi historicae, quae dicitur hysterosis i. e. anticipatio. Nam paradifus utique creatus est die tertio, & Eva die sexto. Ista verò hysterosis servit meliori cognitioni & faciliori narrationi.

2. *Perfecti sunt caeli & terra* perfectione partium & graduum. Quaelibet enim creatura à Deo fuit reposita in suo entitatis, & activitatis gradu.

3. *Exercitus caeli & terra* tria notat, putà multitudinem creaturarum, ipsarum ordinem, & potentiam obedientialem erga Deum; quia inde toties dicitur Jehova Zebaoth.

4. Sub exercitu caelorum comprehenduntur Angeli; quos primo die creatos esse constat ex *Job. 38. vers. 7.* ubi intelligenda est fundatio terrae unà cum aquis, non verò fundatio terrae super aquas, de quâ *psalm. 24.* Ceterum Moyses explicitè non fecit mentionem creationis Angelorum, non tam, quòd historiam suam attemperaret ruditati Judæorum, quàm quòd Deo visum fuerit, proponere theatrum & scholam naturae visibilis, ut inde disceremus & coleremus ipsius majestatem invisibilem, *Rom. 1. vers. 20.*

5. Deus *perfecit* opus suum die septimo exclusivè, non verò inclusivè.

6. Deus *requievit* die septimo ab omni opere suo. Etsi enim est purus actus, tamen destitit creare novas species. Itaque hæc quies non notat defatigationem in Deo, aut cessationem influxus Dei in creaturas, sed cessationem à novis speciebus in naturâ rerum constituendis, & perfectionem operis creationis, & denique illius approbationem.

7. Deus *benedixit diei septimo & sanctificavit eum;* non infundendo ipsi aliquam sanctitatem, sed honore & privilegio aliquo ipsum afficiendo, puta dedicando
ipsum

ipsum operi sancto, h. e. cultui divino, ut in eo recolere-
tur memoria creationis; & id quidem usque ad com-
pletum opus redemptionis per Christum, ubi memoria
creationis fuit commutata cum memoriâ redemptio-
nis, & translatio sabbati ex septimo die in primum est
instituta: idq; proculdubiò autore Christo. Nam perin-
de ut sacra cœna, 1. *Cor.* 11. appellatur cœna Dominica
ab auctore: Ita hæc dies dicitur Dominica, *Apoc.* 1.

8. Opera creationis non dicuntur opificium, sed *ge-
nerationes cœli & terræ.* Nam Deus non est sicut opifex
vel architectus, qui domum à se conditam deserit: sed
tanquam pater, qui fecit omnes res esse & bene esse,
easdemque facit porrò esse & porrò bene esse. Quò per-
tinet similitudo, quæ est inter creationem & generatio-
nem. Nam utrobique est progressus à non esse ad esse,
tametsi non sit idem terminus à quo, neque etiam idem
procedendi modus à termino à quo ad terminum ad
quem.

9. Ex *vers.* 4. non rectè colligitur Deum uno die o-
mnia creasse, quia ibi dies indefinitè accipitur pro tem-
pore, ut apud Poëtam:

Longa dies homini docuit parère leonem.

Quod autem *Ecclesiast.* 18. dicitur, Deum creasse omnia
simul, id non est accipiendum nisi de toto *ἐξ αὐτοῦ ἑαυτοῦ*.

10. Fons dicitur *ascendisse è terrâ*, quo docemur, fon-
tes non nasci ex vaporibus, ut somniavit Aristoteles.

11. Quadruplex miraculosa corporis humani pro-
ductio in scripturis traditur. 1. Ex pulvere terræ sine pa-
tre & matre. 2. Ex costâ Adami, sine matre. 3. Ex virginis
beatæ sanguine, sine patre. 4. Similiter ut prima ex pul-
vere terræ, in resurrectione universali.

12. Tria memorantur, *v.* 7. de *animâ Adami*: videlicet
creatio ejus immediata, (dicitur enim habitus Dei) in-
spiratio ipsius, & unio cum corpore. Quæ tria hodieque
in animâ hominis obtinent. Nihil enim ex materiâ ge-
neratur, nisi quod initiò quoque ex materiâ fuit crea-
tum. Et anima Christi non est ex traduce, tum quoque

scriptura loquitur de ortu animæ, tanquam de opere creationis, non verò naturæ. *Job. 33. v. 4. Zach. 12. v. 1.* Denique talis est cujusque genesis, qualis est analysis, & contrà. Jam verò spiritus hominis immediatè redit ad Deum. *Eccles. 12. v. 9.* Ergo quoque immediatè ab ipso prodiit.

13. Anima hominis dicitur *spiraculum vitarum*, numero multitudinis, non quòd sit causa vitæ naturalis & supernaturalis, aut utriusque capax per se: sed quia est causa vitæ naturalis, tum animalis, tum rationalis; illam enim efficit mediatè, hanc immediatè in homine. Ad vitam autem supernaturalem ordinatur gratia Dei.

14. Homo, inspirato spiraculo vitæ, fuit conditus immortalis, potentiâ non moriendi, si perstaret; mortalis tamen potentiâ moriendi, si non perstaret in integritate.

15. Vox *Jehova. v. 8.* primò adjungitur nomini Elohim: quia nomen Jehova adaptatur operibus gratiæ, ut hoc in loco collocationi hominis in paradiso, adeoque in ecclesiâ: nomen autem Elohim adaptatur operibus, sive conditioni, naturæ. Quòd autem legimus Jehova, non Adonai, inde est, quia nomen Jah contractum est ex hoc nomine tetragrammato: & radix est Havah. Denique nomina ista apud ethnicos & vetustissimos patres *Ἰαώ, Ἰωβὰ, Ἰαβὴ* & nominativus Jovis &c. sine dubio contracta sunt ex hoc nomine. Unde colligimus olim pronuntiatum esse vel Javo vel Jehova vel Jeheve, quomodo pronuntiatum est Ehejeh.

16. *Paradisus* terrestris, (symbolum paradisi cœlestis, *Luc. 23.*) fuit hortus Edenis, h. e. regionis illius, cui hoc nomen est inditum à summâ amœnitate, quæ describitur *Esaia 51. Ezech. 28. Ps. 31.* quæque Geographis dicitur Aurantis, quasi Audantis, trans Babylonem, ubi hodieque Euphrates & Tigris conspiciuntur, & ubi ager hodiè est fertilissimus totius Orientis, adeò quidem, ut ibi fruges bis fecent, tertiò etiam depascant,
& so-

& solum reddat messes cum centesimo quinquagesimo fœnore.

17. *Arbor vitæ* (Hebraicè *vitæ*) sic dicta est, quòd haberet mirificam vim conservandi vitam, eamque obsignaret, unde cum in aliis arboribus homo duntaxat haberet alimentum, in hâc haberet alimentum & sacramentum vitæ divinitus acceptæ, per gratiam Dei continuandæ, & cum cœlesti meliori commutandæ, si in obedientiâ perstaret; imò & ad Christum, in quo vitam acceperat, oculos reflecteret, *Joh. I. v. 4.* Unde arbor ista est symbolum Christi jam redemptoris, *Apoc. 2. & 22.*

18. *Arbor scientiæ boni & mali* sic dicitur partim ab officio, partim ab eventu, sive symbolicè & propheticè. Nam primò erat signum & regula agnoscendi bonum & malum, quatenus nimirum conjungebatur cum præcepto Dei. Deinde Deus prædixit hâc appellatione futurum, ut si homo ab istâ arbore se non abstineret, experimento cognosceret, quid interesset inter bonum & malum.

19. Duæ illæ arbores fuerunt in *medioparadisi*. h. e. sibi admodum vicinæ. Unde Patres dicunt hoc esse symbolum legis & evangelii, quæ duo in legitimo usu debent conjungi.

20. Homo non fuit creatus in paradiso, sed in illum translatus, ut intelligeret, se non naturâ, sed Dei dono paradisum possidere, seque non esse paradisi Dominum, sed Dei colonum, ut ita hortum istum gratâ mente teneret, fideliterque coleret ac custodiret. Deinde, ut sciret, eum non esse patriam, ac propriam suam mansionem, sed hanc alibi in cœlis quæreret. Denique, ne posset de Deo jure conqueri, si propter peccatum paradiso ejiceretur, ac si loco naturali, sibi debito, spoliatus esset.

21. Deus paradisum condidit in usum hominis, ut nihil faceret reliqui ad ipsum omnimodâ felicitate accumulandum, usque adeò, ut vel sola recordatio loci

esset argumentum bonitatis Dei & ingratitude hominis.

22. *Fluvius* unus, id est, Euphrates, egrediebatur de paradiso, non ratione principii seu ortus, sed ratione progressus seu termini à quo, & ibi dividebatur in quatuor fluvios, qui erant, Euphrates inferior, (Pischon Hebr.) Naharsares, (Gichon) Tigris, & Euphrates superior, qui etiam absolutè dicitur Euphrates.

23. *Bdellium* non fuit arbor, sed vel margarita, vel gummi arboris præstantissimæ, ut colligitur ex *Num. II. v. 7.* Ubi manna dicitur fuisse coloris bdellii.

24. Homo protoplastus fuit conditus ad laborem, scilicet facilem & deliciosum. Nam labor molestus est pœna peccati.

25. Verba ista: *Moriendo morieris*, significant mortem animæ & corporis: non vi geminationis (est enim Hebraismus) sed vi præcepti moralis, divinitus lati. Itaque *morieris*, id est, amittes immortalitatem corporis & beatam immortalitatem animæ: hinc efficitur mortem corporis non esse sequelam naturæ.

26. Deus tulit hanc legem positivam, non quasi homini non sufficeret lex inscripta menti ipsius: sed quia æquum erat, ut respublica illa humana aliquo nervo contineretur, & ut homo haberet cotem liberi arbitrii, atque adeò expeteret auxilium Dei seu gratiam confirmantem. Quæ quidem expeditio etiam erat in ipsius facultate.

27. Si Deus omnia fecit valde bona, quomodo non fuit bonum hominem esse solum? & Deus ibi loquitur de bono universalis, seu totius speciei & ecclesiæ, quod ab uno solo propagari non potuit; itemque de bono conversationis, non verò de bono personali, de quo apud *Matth. 19. v. 10.* & *1. Cor. 7.*

28. Deus creavit Adamo *adjutorium*, non contra ipsum, ut quidam interpretantur voculam Hebraicam, sed coram ipso: unde Chaldaeus eleganter vertit, sustentaculum juxta ipsum: quasi uxor præstò in omnibus viro esse

ro esse

ro esse debeat, ceu baculus quo nitatur. Etsi verò adiutorium istud Adamo versum est in supplicium: tamen eventus ille non evertit qualitatem officii.

29. Adam fuit primus Nomenclator imponens nomina naturæ rerum apta. Etsi enim nomina ad placitum significant, tamen ex notatione affinitatem cum rebus habent: in primis in linguâ Hebraicâ, quam antiquissimam esse probant nomina ista propria, Adam, Eva &c. in primis, quòd in solâ Hebraicâ linguâ nomen fœminæ deducitur à nomine viri: nam nomen *אדם* & nomen *חַוָּה* non sunt usitata, sed ficta.

30. Deus *immisit soporem* in Adamum, h. e. ecstasim sive somnum cum illuminatione somnus fecit, ne sentiret dolorem: illuminatio, ut excitatus continuò agnosceret carnem suam.

31. Docti viri existimant, Deum neque costam sine carne sumsisse ex Adamo, neque restituisse carnem sine costâ: quia Adam dicit, esse os de ossibus & carnem de carne suâ.

32. Verba illa: *Homo relinquet patrem & matrem suam*, sunt verba legis & prophetiæ. Legis, quia sanciunt arctissimam cohabitationem, prohibentque polygamiam & divortium temerarium. Prophetiæ: quia continuatio conjugii ejusque benedictio sancitur. Neque tamen ideo hæc verba stabiliunt *ἀσχεσίαν* erga parentes, quia gradus dilectionis se mutuò non tollunt. Diligendi enim sunt parentes ratione principii, reverentiæ, obedientiæ, & subjectionis magis quàm uxor, quæ rursus magis diligenda est quàm parentes ratione conjunctionis & cohabitationis.

33. *Duo erunt in unâ carne*: videlicet præcepto divino, usu legitimo, animo, & in prole: quorum nihil est in scortatione.

34. Protoplasti in statu innocentiae *erant nudî, neque erubescabant*, quia in sese nihil videbant præter imaginem Dei, i. e. puram putam innocentiam, integritatem, pulchritudinem.

C A P I I I.

1. **D**iabolus peccavit rebellionem adversus Deum, non perstando in veritate, neque servando suam originem: ita quidem ut factus fuerit *διάβολος* & *ἐπιχειρέτης*. Ille itaque invidens homini felicitatem ipsius, in serpente (quod animal erat callidissimum & *φιλοσφρωπότερον*) allocutus est Evam, ei que suasit & persuasit lapsum.

2. Lapsum hominis etsi Deus prohibuit & impedire potuit, permisit tamen justo iudicio, ut prius ostenderet, quid esset liberum arbitrium creaturæ sibi relictum; postea quid posset gratiæ beneficium; denique quid posset iustitiæ iudicium.

3. Eva non abhorruit aspectum serpentis, quia omnia animalia ante lapsum homini erant amabilia.

4. Eva non obstupuit audiens serpentem loquentem; quia ignorantia puræ negationis per colloquium practicum in ipsâ vires exercuit suas.

5. In lapsu hominis tria sunt discernenda. Primum peccatum in intentione fuit superbia: primum in conceptione fuit infidelitas, primum in executione fuit inobedientia. Ad hæc autem homo perverit, non quòd mutabilis esset, sed quòd mutabilitati non resisteret.

6. Adam non est seductus. *i. Tim. 2.* scil. immediate à Diabolo.

7. *Oculi* protoplastorum post lapsum *aperti sunt*, nempe ad discernendum inter bonum quod amiserant, & malum in quod inciderant.

8. Deus deambulans in horto, non est Filius Dei, sed tota Trinitas, quæ instituit cum Adamo processum criminalem.

9. Maledictio serpentis est accipienda partim de serpente, ut *terram comedes, gradieris super ventrem &c.* partim de Diabolo & serpente simul, ut *inimicitias pono*. Serpens autem sensit pœnam, quâ fuit instrumentum seductio-

seductio-

seductionis, id enim fieri solet in crimine læsæ Majestatis.

10. Mulier & diabolus, itemque *semen mulieris* & Diaboli, opponuntur antithesi inæquali. Nam semen Diaboli sunt omnes ejus filii: semen verò mulieris est solus Christus, qui sic dicitur, quòd ex solo sanguine Mariæ acceperit corpus suum, & is solus conterit caput serpentis, uti noster Immanuel. Et ita vox semen mulieris est nomen personæ non verò naturæ. Prodigiola igitur est Papistarum falsatio, dum substituunt *Ipsa*, contra veritatem Hebraicam & subjectam materiam.

11. Prima hæc Evangelii promissio est prima fidei analogia, & criterium omnis religionis omni exceptione majus.

12. Diabolus *contrivit calcaneum* Christi in passione ipsius; & nobis conterit, quando nos pulsat variis tentationibus.

13. Mulier ante lapsum erat sub potestate viri volens, nunc etiam nolens.

14. Terra est maledicta non solùm sterilitate, sed etiam noxâ, de quâ dicunt subtiliores philosophi: *Post lapsum omnia sublunaria habent ens veneni*. Atque hoc est quod Apostolus concionatur, *Rom. 8.* de vanitate, cui obnoxia est creatura.

15. Verba illa, *In sudore vultus tui* &c. vel potiùs, in sudore narium tuarum, non tam sunt præceptum, quàm comminatio; quia intelligitur labor difficilis & cum murmure conjunctus, in quâcunque vocatione.

16. Homo *revertitur in pulverem*; quia pulvis est. h. e. quia natura ipsius sibi relicta tendit & redit ad suam originem.

17. *Adam vocavit uxorem suam Evam*, non oblectando se inani titulo; sed miseriam suam solando propagatione speciei, in quâ nempe Messias futurus erat princeps vitæ. Cæterùm *Chavva* vi conjugationis *Piel* ostendit fœminam non merè passivè sese habere in generatione prolis.

B

18. Deus *fecit homini tunicas*, ut ostenderet suam benevolentiam adhuc reliquam: & ut vestitum ficulneum, ab homine confectum, tanquam ineptum, rejiceret. Fecit autem tunicas pelliceas, tum quòd servili ingenio servilis vestitus conveniebat; tum ut in pellibus occisorum animalium homo versaretur, tanquam in monumento mortis.

19. Verba ista, *Ecce Adam est sicut unus ex nobis*, non assertivè, sed ironicè dicta sunt. Est autem ironia non insultantis miseriam alienam, sed paternè indignantis.

20. Verba ista, *Unus ex nobis*, notant ὁμοιοειδίαν plurimum, & proinde sunt argumentum Trinitatis ineluctabile.

21. Excommunicatio seu ejectio Adami ex paradiso ipsum prohibuit non solum possessione & usufructu patriam suam: sed etiam communicatione sacramenti. Nam quia arbor vitæ erat sacramentum & figura vitæ immortalis, adeoque & æternæ: planè non conveniebat, ut Adam morti jam adjudicatus participaret de sacramento vitæ: & illius fiduciâ inani sibi promitteret immortalitatem.

22. *Cherubim* sunt angeli à posteriori sic dicti, videlicet à formâ juvenum alatorum arcæ fœderis infidentium: quæ pictura significavit ipsorum tunc innocentiam, tum robur & velocitatem, partim in expediendis Dei mandatis, partim in custodiâ & ministerio electorum obeundo.

23. *Cherubim fulgurantibus gladiis* sunt collocati ante paradysum, ut homini spes eò penetrandi, & vitam inde petendi penitus præcluderetur: quotquot verò servari vellent, vitam in solo Christo quærerent: quippe qui solus est arbor vitæ post lapsum collocata in medio ecclesiæ; quæ phrasis accipienda est, ut illa proverbialis: *Palma in medio est posita.*

CAPUT

C A P. I V.

1. **A**dam cognovit uxorem suam, cognitione practica seu affectione maritali: ita ut hic locum habeat regula: *Verba notitiæ fermè secum trahunt affectum analogum.* Est itaque hic metonymia vel synecdoche veracunda.

2. Moyses commemorat tres Adami filios, Philo & Epiphanius 12 dant ipsi filios: Beda 30 filios & totidem filias commemorat. Quicquid autem hujus sit, verisimile est plures habuisse quàm tres: quia polytecnia ante diluvium & paulò post erat pernecessaria.

3. Exclamatio illa Evæ, *Acquisivi virum Jehovah,* continent verba spei, non rei. Nam etsi Eva agnosci benedictionem Dei in sobole, & has quasi primitias Deo præsentat: tamen nimia lætitia effecit, ut opinaretur se peperisse Christum Jehovah, secundum promissionem *capitis 3.* Licet autem Eva erraverit in hypothese, non tamen erravit in thesi: unde efficacissimum ex hoc loco arcessitur argumentum pro deitate Messia.

4. Cain & Abel obtulerunt sacrificia, in familiâ, seu in ecclesiâ domesticâ. Itaque in hisce duobus cœperunt duæ civitates.

5. Deus respexit prius ad Abel, deinde ad munus. Quia talia sunt opera coram Deo, quales à Deo habentur illi quorum sunt.

6. Deus respexit ad sacrificium Abelis tum à priori tum à posteriori. A priori, quia Abelem intuitus est in Christo. A posteriori, demittendo ignem cœlitus. Quia itaque Deus probavit sacrificium istud, patet hunc talem cultum ab ipso fuisse institutum, ut sacrificia essent sacramenta primæ istius ecclesiæ.

7. Verba ista: *Ad te erit appetitus ejus, & tu dominaberis ei:* non stabiliunt liberum arbitrium; quia non loquuntur de dominio Caini in peccatum, sed in fratrem, h. e. non de dominio personæ in rem, sed de domi-

nio personæ in personam. Id verò patet ex affixis masculinis & collatione *capitis* 3. v. 16. Et verò, si de libero arbitrio accipienda essent, dicendum esset cum Emanuele Sa: *Dominaberis peccato, si nempe velis cum Dei gratiâ.*

8. *Si malè egeris, peccatum in foribus excubat*, h. e. admissio peccato pœna in foribus præstò erit, & ad iudicis portam quasi suspensa manet.

9. Cain sororem duxit uxorem, quia id fuit necessitatis, quæ non habebat legem: deinceps verò, in libertate, reverentia sanguinis cœpit habere legem.

10. *Vox sanguinis Abel clamabat de terrâ ad Jehovam*, hoc est atrocitate suâ vindictam Dei inclamat. Hujusmodi autem peccata in scripturis commemorantur quatuor, videlicet hoc ipsum, item peccatum Sodomæ & Gomorrhæ, *Gen.* 18. pressura Israëlitarum *Exod.* 3. & detentio mercedis operariorum. *Jac.* 5.

11. Deus noluit Cainum parricidam interfici; non ut impunitatem homicidii stabiliret, sed propter generis humani paucitatem: Deinde vita Caini fuit mors quædam continua, multò gravior, quàm ipsa mors: imò & civiliter mortuus est, quippe excommunicatus ab ecclesiâ; & quoque spiritualiter, utpote furiis conscientiæ infernalibus exagitatus.

12. Deus Caino imposuit signum, partim securitatis, partim severitatis divinæ, partim denique distinctionis manifestæ. Verisimile autem est signum istud fuisse tremorem totius corporis. Hic enim tremor fuit signum tremoris conscientiæ, & insimul alios commovit ad sympathiam, ut ab ipsius cæde se abstinerent.

13. Cain ædificavit oppidulum, partim metus, partim securitatis causâ, partim denique ut se separaret à piis & solus Dominus esset. Nimirum mali captant hîc habitationem permanentem: sed amici Dei habitant in tabernaculis, mortis memores. Eleganter autem hîc observat Augustinus civitatem illam Henochiam esse typum Romæ parricidialis.

14 Verba

14. Verba Lamechi, *Virum occidi* &c. hunc habent sensum, Lamech uxoribus suis (quæ ipsi malè ominabantur propter bigamiam) incolumitatem suam duplici argumento confirmat: & quòd ipse viribus præstaret, & propter paratam Dei vindictam. q. d. Ego adeò sum præstans robore, ut solo vulnere aut vibice possim aliquem interficere. Et si septuplum vindicabitur Cain, nempe gravissimâ vindictâ sumptâ de occifore, Lamech vindicabitur septuagies septies, hoc est, multò graviùs, utpote non ita malus ut Cain.

15. Tempore Enosi cœptum est invocari nomen Jehovæ, quia cœpit Deus tum coli populariter & palam, constitutâ aliquâ ecclesiæ politiâ: non verò excellenti aliquâ ratione, quæ antea fuerit incognita, ut Papistæ explicant, qui monachus sui incunabula hinc repetunt.

C A P. V.

1. **L**iber generationis est catalogus seu enumeratio posteritatis, ejus scilicet, per quam Christus descendit. Huc enim tendunt omnes genealogiæ sacræ; ut quemadmodum principes hujus seculi, ita etiam princeps vitæ Jesus Christus haberet luculentissimam genealogiam. Quò accedit, quòd istæ genealogiæ Judæis fuerunt manuctio ad Christum, nobis verò sunt confirmatio fidei. Postremò in istis genealogiis ecclesia habet fundamentum Chronologiæ certissimum.

2. Deus dicitur utrumque protoplastum vocasse Adam, quia hæc vox est & proprium & appellativum nomen.

3. Numeri annorum in hoc capite variant apud septuaginta interpretes, unde colligere est, versionem ipsorum esse vitiatam. Etsi enim Christus & Apostoli ipsam citarunt, idque propter Judæos hellenistas, tamen ea duntaxat loca sanctificârunt, quæ citârunt.

4. *Adam genuit filium ad similitudinem & imaginem suam*, ubi duo sunt notanda. 1. vocabula ista, similitudo

& imago, hîc transponi; unde synonymia manifestè concluditur. 2. imaginem Adami esse peccatum originale. Neque enim hic est sensus: Genuit sibi similem ingenio & corpore, sed reatu & corruptione.

5. Annos, qui hîc commemorantur fuisse solares, docet historia diluvii.

6. Longævitas patriarcharum pendebat à dispensatione Dei, videlicet propter multiplicationem generis humani & ecclesiæ. Huic autem causæ principi subserviebant istæ secundæ, bonitas complexionis, temperantia vitæ, bonitas nutrimenti, & eximia peritia tum physicæ, tum medicinæ.

7. Enoch ambulavit cum Deo id est, coram Deo. h. e. ita vixit, ac si Deum semper haberet sibi præsentem: uti discipulus coram præceptore, & subditus coram principe dicitur vivere. Sic itaq; innuitur magna perfectio, non meriti, aut operis supererogationis (Enoch enim fide fuit præditus, *Heb. II.*) sed sinceritatis & sollicitudinis: Et ea quidem heroica sive exemplaris.

8. Enoch fuit translatus ex ecclesiâ militante in triumphantem. Hæc verò translatio fuit conjuncta cum subitâ mutatione, quæ est quasi mors. Atque ita Enoch non vidit mortem, h. e. spectrum mortis. Porrò Christus hoc modo non desinit esse id quod est, nempe primitiæ resurgentium: quia Enoch pertinet ad cumulum sive massam, solus verò Christus est caput.

9. Multa nomina in scripturis leguntur indita spiritu prophetico, ut hoc loco est nomen Noachi.

10. Sem fuit primogenitus, quia patres generationum fuerunt primogeniti.

11. Nullus patriarcharum assecutus est millenarium annorum numerum: ut hoc symbolum æternitatis discamus quærere extra hanc vitam.

C A P. V I

1. **F**ilii Dei, hoc est, Dei cultores, nempe posteri Seth uxores acceperunt filias hominum, h. e. fœminas impias

impias ex posteritate Cain. Conjugia verò ista non substituerunt intra maritalem affectum, sed secum traxerunt moralem defectum. Sic Israëlitæ *Num. 25.* commixti fuerunt Moabitis.

2. Quando homines furenter in peccata ruunt, Dei spiritus non amplius disceptat cum ipsis, hoc est, non amplius litigat cum illis, ipsos coercendo; sed illos permittit ludibrio carnis.

3. Dies hominis dicuntur fore anni, 120. quibus verbis Deus limitat non tempus vitæ hominis (id enim refutatur ex *Gen. 11.*) sed dilati iudicii & pœnitentiæ. Cur verò Deus hoc tempus præfixit, cum sciret homines non acturos pœnitentiam? *R.* Ut impœnitentes implerent mensuram peccatorum, & pœnitentes nulli perirent.

4. Gigantes non demùm cœperunt tempore apostasiæ hujus universalis: sed etiam antè fuerunt. Hic autem demùm fit mentio ipsorum, quia antea nō erat occasio. Sed quomodo prognati fuerunt isti gigantes? *R.* Deus peculiarem quandam dispositionem indidit femini, ex quo fuerunt progeniti: quomodo videmus parvæ staturæ homines nasci ex proceris parentibus.

5. Peccatum originis, & nullitas liberi arbitrii, in rebus supernaturalibus, probatur ex *vers. 5.* ubi \aleph (ipso Marianâ teste) id est, formatio, notat fomitem malum, qui absque intermissione ardet.

6. Pœnitudo Dei non est passio aut mutatio naturæ, vel consiliorum ejus; sed mutatio œconomix seu dispensationis; itemque rerum seu eventuum. Quare pœnitentia tribuitur Deo & hominibus similitudine æquivocâ. Hinc Augustinus eleganter & subtiliter dicit: *Deus pœnitudine ducitur, quando facit, quod homines pœnitentes facere solent.*

7. Deo tribuitur dolor non secundùm rem sed secundùm modum: quia videlicet se habet ad modum dolentis. Deus enim per naturam suam immutabilem facit, quod homines faciunt per naturam suam mutabilem.

8. Deus minatur se deleturum non solum hominem, sed & bestias; illum tanquam peccati mancipium, has tanquam peccatoris mancipia.

9. *Noë invenit gratiam coram Domino: gratiam nempe gratum facientem.*

10. *Noah erat vir justus, perfectus, ambulans coram Domino & quidem in generationibus suis; h. e. talis fuit non ætate unâ, sed multis videlicet ante & post diluvium, non tantum conversatione cum bonis, sed etiam cum non bonis, i. e. corruptissimis hominibus. Fuit autem talis perfectione graduum, seu perfectione imputatâ, quam habemus in Christo. Item perfectione partium seu inhærente, idque ratione Dei, sui, & aliorum. Denique perfectione inchoatâ, certò aliquando consummandâ.*

11. *Terra corrupta erat coram Deo, h. e. vehementissimè; quomodo filii, discipuli, vel subditi projectæ improbitatis dicuntur peccare coram parentibus, præceptoribus & magistratibus suis.*

12. *Lignum Gopher est species & nomen cedrelates, arboris inter cedros præstantissimæ, ut Chaldæus bene vertit.*

13. Longitudo arcæ fuit trecentorum cubitorum, latitudo quinquaginta, altitudo triginta: ac proinde longitudo sex spatia latitudinis, & decem altitudinis obtinebat, quem naturalem esse corporis humani commensuram tradunt philosophi.

14. *Cubiti hoc loco non intelliguntur Geometrici, qui singuli sex communes continent (ita enim arcæ æquasset longitudine suâ integrum miliare) neque vulgares (ita enim longitudo fuisset multò minor quàm par erat) neque regii (nam hi conveniebant rebus civilibus) sed sacri, h. e. duplares; quemadmodum siclus sacer communem duplo superabat. Nam arcæ tanquam operi sacro debuit adhiberi mensura sacra.*

15. *Geodæsia arcæ hæc est. Si trecenta multiplicentur per quinquaginta, uniuscujusque contignationis sive ta-*

sive tabulati area habebit cubitos quindecies millenos. Quòd si trium contignationum seu tabulatorum areas simul conjunxeris, comperies fuisse quadragies quinques mille cubitos. Quo spatio facile potuerunt comprehendi animalia terrestria & aëria. Nam etiamsi trecenta animalium terrestrium genera demus esse, eaque in unicâ contignatione versata ponamus: tamen unicuique generi capiundo quinquaginta cubiti superessent in unicâ solum contignatione.

16. Arca plurimis fenestris fuit instructa. Id enim significat vox *Zohar*. q. d. opus fenestratum luculentissimum.

17. Tectum arcæ non fuit fastigiatum, sed camera-tum, id est planum, quomodo in Palæstinâ fiebant tecta.

18. Tota arca fuit distributa in nidos, hoc est, domunculos seu mansiunculas.

19. Typi alii sunt veteris, alii N. T. Typi V. T. sunt oblati vel quæsitii: Et priores illi rursus sunt communes vel proprii. De typis communibus ait Apostolus. *1. Cor. 10. Quæ antè gesta sunt, typi fuerunt nostri.* Typi proprii sunt vel transeuntes & extraordinarii, ut Jonas: vel permanentes & ordinarii, ut typi levitici. Typi N. T. sunt antitypa, h. e. typi veteribus typis respondentem è regione. Diluviû & arca fuit typus communis beneficiorum spiritualiû, quibus Deus semper suos conservat in diluvio iræ suæ. Eadè sunt typus nostræ mortificationis, sepulturæ, & resurrectionis in Christo: quas res quoque figurat Baptismus, unde *1. Petri 3.* Apostolus Baptismum vocat antitypum, h. e. typum respondentem typo diluvii. Nam ut veterem mundum perdidit Deus & sepelivit aquis, reliquias autem gratiæ servavit in arcâ: Sic Deus in Christo veterem hominem mortificat, sepelitque peccatum illius & à peccato abluit, atque excitat novum hominem. Cujus rei olim typus fuit in aquis diluvii, quemadmodum hoc tempore typus est in aquâ Baptismi. Quare diluvium & Baptismus inter se comparata sunt antitypa. Porro arca etiam est typus

seu imago ecclesiæ, ut colligere est ex dicto Petri loco. Verùm singulas ejus partes ad ecclesiam aptare minimè est consonum. Comparatio autem hæc est. Ut arca fuit ex lignis imputribilibus, & miraculosè fuit conservata: sic ecclesia catholica constat ex solis credentibus, & portæ inferorum non prævalebunt adversus eam. Rursus, ut in arcâ fuerunt boni & mali, animalia munda & immunda: Sic in ecclesiâ visibili sunt boni juxtâ & mali. Ad extremum arca apud Patres est typus corporis Christi & resurrectionis nostræ, qui uterque typus est quæsitus. Ratio prioris est: quia ut arca fuit ædificium extraordinarium: ita corpus Christi fuit extra ordinem conceptum & formatum. Ratio posterioris est: quia ut arca, cum hominis jacentis & mortui corpore exactâ proportionem respondet, fuit miraculosè sublata: ita corpora nostra excitabuntur vi supernaturali.

20. *Fœdus Dei* cum homine est naturæ vel gratiæ. Fœdus naturæ Deus iniit cum homine ante lapsum: ita ut homo illo fœdere exciderit. Fœdus gratiæ est gratiæ temporalis vel æternæ. Fœdus gratiæ temporalis aliud est speciale, aliud universale. Fœdus speciale hoc in loco Deus pangit cum Noacho de ipsius incolumitate. Fœdus universale est *Gen. 9.* de mundo non amplius perdendo per diluvium. Fœdus gratiæ æternæ iniitum est in Christo. *Gen. 3.*

21. Bina animalia conjugata, & septena computata, seu bina conjuga & septena sejuga debuerunt assumi in arcam.

22. Animalia venerunt ad Noachum non labore ipsius, neque ministerio angelorum; sed jussu Dei & fide Noachi miraculosâ.

23. Omnia quæ Deus præcepit Noacho, ille fecit, obedientiâ nempe fidei, seu captivam ducendo rationem in obsequium fidei. Quæ sancta obedientia non habet aliquid simile cæcæ obedientiæ papistarum, vel dementiæ ubiquitistarum. Utraque enim illa destituitur verbo præceptionis & promissionis diviniæ.

C A P U T

C A P U T V I I

1. **V**erba ista Dei ad Noachum: *Quia te vidi justū corā me in generatione istā*: neq; causam meritoriā, neque causam motivam propriè dictam indicant (neq; enim creatura potest bene mereri de Deo; neq; Deus movetur virtutibus hominum, quas in illis efficit) sed notant applicationem, approbationem & remunerationem gratuitam, hoc sensu: *Vidi*, hoc est, segregavi te, ut esses justus coram me, & coram hominibus; & quòd esses ita justus meo gratuito favore, affeci te hoc præmio gratuito. Itaq; justitia illa, quæ est coram Deo, parit justitiam coram hominibus; & utraque est effectum Dei, quo Deus delectatur; & quia delectatur, utrique statuit præmium.

2. Discrimen animalium mundorum & immundorū, quod Deus hīc sancit nō est naturale, (quia etsi naturā abhorremus à quibusdam animalibus, tamen illud hoc in loco non attenditur) sed ceremoniale, quia pertinet ad pædagogiam legalem circa victum & sacrificia.

3. septena animalia sunt intromissa in arcam, hoc est, tres masculi & tres fœminæ, & præterea unus masculus sacrificio destinandus, ne parium mutilatio esset facienda.

4. Totos dies septem Noë fuit in arcâ, priusquam inciperet diluvium. Ingressus autem proculdubio fuit post sanctificationem sabbathi, id est, die lunæ & die septimo, id est, ipso sabbatho sanctificavit arcam & omnia quæ in eâ fuerunt.

5. Singuli mariti cum singulis uxoribus ingressi sunt in arcam. Unde colligere est polygamiam non fuisse ordinariam apud Patriarchas, nedum divinitus sancitam.

6. *Fontes abyssi* sunt fontes in terrâ; quoniam per meatus subterraneos aqua maris, percolata falsugine, prorumpit variis in locis.

7. *Cataractæ cæli* sunt nubes, quæ tanquam fenestræ divinitus aperiuntur & clauduntur.

8. Diluvium incidit mense Aprili vel Majo. Nam quia describitur hoc loco res sacra, annus quoque sacer, seu ecclesiasticus, non verò civilis, debet intelligi.

9. Montes fuerunt ante diluvium. Illos enim operuit aqua quindecim cubitis. Et hoc sensu dicitur, 2. Pet. 3. cœlos periisse diluvio, hoc est, cœlum aëreum ratione infimæ regionis periisse, videlicet pinguioris aëris qualitate in aquam conversâ.

10. Animalia venerunt ad Noachum in arcâ jam versantem, ut illa ibi exciperet atque disponderet.

11. Dies 150, quibus roborarunt se aquæ super terram, includunt dies illos 40, quibus continuatæ fuerunt pluvix. Id enim docet computus mensium.

12. Deus 40 dies adhibuit ad diluvium consummandum, ut interea temporis resipiscerent aliqui. Nam sicut non omnes in arcâ servati fuerunt spiritualiter, ut servati fuerint corporaliter: ita non omnes qui perierunt extra arcam, exclusi fuerunt à salute æternâ; argumento loci, qui est 1. Pet. 4. v. 6.

C A P V I I I.

1. **D**eus recordatus est Noachi, quia hoc egit, quod recordantes solent agere; nempe ostendit Noachum sibi esse curæ. Visus enim erat oblitus esse ipsius, quòd tanto tempore preces ejus non exaudiret.

2. Deus recordatus est bestiarum; quatenus illas inclusit fœderi suo.

3. Aqua fuit commodissimum instrumentum diluvii immittendi & attollendi: ventus ejusdem dimittendi & tollendi. Fuit autem iste ventus extraordinarius.

4. *Montes Ararath* sunt montes Cardueni in Armeniâ. Sic enim Chaldæus vertit; & fragmenta arcæ ibidem reperta fuisse, Josephus & Hieronymus memoriæ prodiderunt.

5. *Noë aperuit fenestram*, quam fecerat, hoc est, unam è fenestris vel præcipuam fenestram, vel denique fenestram

stram

stram in summâ contignatione, in quâ fuerunt aves, quibus poterat una fenestra esse satis.

6. *Corvus egressus* est eundo & redeundo, non ad arcam, sed hinc inde volitando. Est autem figura hypocritarum & apostatarum, qui excidunt ecclesiâ Christi.

7. *Columba rediens* in arcam est figura electorum, qui cadunt quidem, sed non excidunt gratiâ Dei. Eadem rediens cum fronde oleagineâ est symbolum spiritus sancti, qui est oleum lætitiæ. Denique columba tertium quasi manumissâ & liberâ terrâ jam fruens, est symbolum libertatis Christianæ, quâ fit ut homo liberetur ex carcere peccati:

8. Ut Noë jubente Deo ingressus fuit in arcam: ita eodem jubente ex eâ fuit egressus. Quo docemur nihil citra vocationem divinam nobis esse faciendum; non quòd à specialibus oraculis pendere debeamus, sed ut persuasissimi simus in animis nostris, nihil nos aggredi nisi verbo Dei consentaneum.

9. Noë ingressus est arcam die 17. mensis secundi, anno vitæ suæ 600; egressus est die 27. mensis secundi, anno vitæ suæ 601, quæ est justa anni solaris quantitas.

10. Noë jussu Dei ingressus est arcam, indeque egressus. Ergo illius injussu nec ædificavit altare, nec obtulit sacrificium eucharisticum. Quò spectat jussus Dei de animalibus mundis imparibus, sacrificii causâ in arcam assumendis. Denique Noë in suâ familiâ sacerdotis officio, ad exemplum reliquorum patriarcharum, quorum successor erat, ex ordinatione divinâ fungebatur. Itaque nihil præsidii hoc loco habent ἡμελοθησκείας monachorum.

11. *Jehovah odoratus est odorẽ quietis*, non quòd egeret aut caperetur nidore carniū, sed quia delectabatur nitore fidei in Christum, qui idem est sacerdos, altare, & sacrificium catholicissimum, in quo nos omnes (etiam nostra bona opera) sumus bonus odor Deo nostro, qui in solo Christo vult acquiescere.

12. *Dicit Deus in corde suo*, quoties aliquid decernit

intra se, ita ut tale interius decretum nullo modo à creaturis pendeat.

13. Deus dicit: *Non addam amplius maledicere terræ* scil. universaliter. Itaque hinc probatur diluvium Noachi fuisse universale. Porrò his verbis non obligavit se, quod non velit specialia supplicia certis regionibus immittere, cujusmodi fuit excidium Sodomæ.

14. Mirabilis est ista ratio: *Non addam amplius maledicere terræ, quia figmentum cordis humani malum est à pueritiâ ipsius.* Nam hæc pravitas antè *cap. 6. v. 5.* provocaverat iram Dei ad immittendum diluvium, jam eadem ratio est argumentum misericordiæ. Nimirum ibi Deus spectabat malitiam hominum, ut vindex justitiæ: hîc, ut clemens pater; de quo paterno affectu concionatur *Psalms 103. v. 14.* Itaque prior collectio est juris stricti, posterior est juris moderati. Nec tamen hæc collectio est ab æquo, ut disputat Pererius, quasi pravitas hominum mereatur clementiam; cùm ex ordine justitiæ mereatur pœnam, sed ab incommodo, quod homines, si tractandi sint pro suis meritis, h. e. pro suâ pravitate, quotidie novo diluvio perdendi essent. Porrò hæc sententia est fulmen, quo prosternitur liberum arbitrium in primo actu conversionis. Nam ille cujus figmentum malum est inde à pueritiâ, non potest operari vel cooperari gratiæ, nisi per gratiam. Denique hoc ipso dicto erroris convincitur pelagiana Bellarmini assertio, quòd peccatum originale in nullâ pravâ qualitate consistat.

15. Verbis illis: *posthac omnibus diebus terra sementis & messis, frigus & aestus, aestas & hyems, dies & nox non cessabunt,* mundus restituitur in integrum. His enim modis Deus complexus est circulum, sive vicissitudinem, rerum sublunarium, quantum ad ordinem naturæ universalis, cujus interruptio fuerat diluvium.

C A P. I X.

I. **D**eus benedixit Noacho & filiis ejus, dixitq; *crecite & multiplicamini.* Ubi Deus non solum eodem verbo

verbo

verbo mundum renovat, quo ipsum prius creavit, sed etiam legitimum conjugii usum sanxit.

2. Deus ait: *Timor vester & pavor vester erit super omnem bestiam terræ &c.* quibus verbis homini restituitur dominium in animalia; sed cū terrore, quod ante lapsum erat absque terrore. Satis tamen nobis esse debet, quod his verbis tanquam lupato & freno compescitur bestiarum ferarum sævitia, & simul sancitur subiectio cicurum.

3. Verba ista: *omne quod movetur, erit vobis in escam*, non probant, carnis usum & esum ante diluvium non fuisse. Nam proculdubiò de sacrificiis comederunt sacrificantes. Tum oportet hinc tenere illud principium: Deum non plus hinc largiri hominibus, quam dederat, sed tantum reddere quod fuerat ablatum, ut possessionem bonorum, unde fuerunt depulsi, jure postliminii recipiant. Porro Deus loquitur universaliter, ut sciamus omnia animalia nobis in manus esse data, ut illis utamur, fruamur, pro libitu nostro ad utilitatē nostrā, sive ad cibum, sive ad remediū, sive ad laborē, sive ad solatium.

4. Esus sanguinis pecuini prohibetur à Deo, non tam ex medicā causā, quod sanguis non generet bonum nutrimentum; quàm ex causā physicā, civili, & mysticā. Ex physicā; quia sanguis bestię est anima ipsius. Ex civili, ne homines fundendo sanguinem assuescerent & crudeles fierent erga se invicem. Ex mysticā; quia sanguis destinatus erat sacrificiis. Itaque hæc lex est mixta, h. e. partim moralis, partim ceremonialis; & hoc posteriori modo pertinet ad pædagogiam V. T.

5. Augustinus dicit, eodem tropo sanguinem esse animam bestię, & panem esse corpus Christi: Quòd quidem verum est de specie tropi subalternā, non verò specialissimā. Porro hinc probatur animam humanam non esse ex traduce, quia non est ex sanguine aut in sanguine. Unde scholastici eleganter dixerunt, animam sensitivam esse qualitativam, animam humanam substantivam.

6. *Deus sanguinem nostrum requirit de manu bestiarum*; quando fert leges judiciales de interficiendis bestiis, quæ hominem quocunque læserint modo.

7. Verbis illis: *Quicumq; fuderit sanguinem hominis, sanguis ejus effundetur per hominem*: ordinatur magistratus. Malè igitur versio vulgata omittit illa verba, P E R H O M I N E M, ita enim intelligitur iudicium legitimum.

8. *Fœdus Dei* cum Noacho non est privatum, cum unâ duntaxat sancitum domo, sed cum omnibus populis, imò cum bestiis commune, unde patet Anabaptistas hallucinati, quando negant fœdus Evangelii pertinere ad infantes fidelium, quòd fœderis rationem illi non intelligant.

9. *Iris* æquè fuit ante diluvium, atque aliæ rerum & nominatim meteororum species. Sed post diluvium cœpit esse signum sacramentale, cujus analogia ad signatum hæc est: Iris duas in se habet contrarias significationes, videlicet pluvix & serenitatis. Posterior significatio est hujus loci. Non itaque necesse est analogiam signi & signati quærere in coloribus iridis, vel in figurâ, quòd nomen Jehovah sit in iride.

10. A tribus filiis Noë, tanquam Ethnarchis, propagati sunt omnes populi. Non itaque rectè additur Jonitus, quem genuerit Noë post diluvium, & qui quartam mundi partem impleverit.

11. Noë cœpit *colere terram & plantare vineam*, h. e. collecto animo rediit ad pristinos labores. Nec enim verisimile est, fructum vitis, qui præ aliis excellit, ante diluvium fuisse neglectum.

12. Ebrietas Noachi est actus infirmitatis, ideoque exemplum nobis propositum ad cautionem nostram, non ad imitationem. Etsi autem actualis ebrietas non est æquè mala atque habitualis: tamen utraque est brevis mors, ut scitè ait Basilius, & hoc Noachi exemplum docet.

13. Canaan filius Chami maledicitur potius quàm ipse

ipse Cham, quia ex peccato Chami Deus sumsit occasionem maledicendi totam posteritatem Canaan, qui conscius fuit peccati Cham, ideoque factus est ipse correus.

14. Phrasis illa, servus servorum, denotat non tantum servilem fore conditionem Cananæorum, sed etiam viliori servitute deteriorem. Quæ maledictio non statim fuit impleta, sed tum demum, quando Israëlita occuparunt terram Canaan. Acute autem hîc annotat Calvinus, Papam verè propheticâ nomenclaturâ se appellare servum servorum.

15. Japhet coepit habitare in tabernaculis Sem, quando gentes cooptatæ fuerunt in ecclesiam, quam Deus olim ex progenie Sem solebat eligere. Atque hinc lucem accipit cap. II. ad Romanos, de naturalibus ramis defractis ex oleâ, & de ramis excisis ex oleastro & translatis in oleam. Porrò notanda est emphasis vocis Hebraicæ יָפֶֿתֿ Japhth, i. e. alliciet videl. blandè alloquendo per evangelium, & suaviter trahendo per gratiam spiritus: ita ut suasio moralis & tractus internus simul noventur.

C A P. X.

1. Sicut historia diluvii est miraculosa: ita quoque hæc historia tam subitæ propagationis mundi. Nam insolitâ Dei potentiâ, non autem naturaliter, sic aucta est trium virorum soboles, ut spatio centum annorum terram longè lateque repletet: quomodo ex 75 hominibus spatio 215. annorum in Ægypto prognata fuerunt sexcentena Israëlitarum millia ad bellum apta.

2. Prima classis datur filiis Japhet; quia illi mari trajecto longiùs à patriâ recesserunt. Unde insulæ gentium, h. e. transmarinæ regiones à Filiis Japhet dicuntur divisæ. Secundus locus assignatur filiis Cham, quia illi populo Dei erant viciniore. Quia autem continuo tenore, historiam ecclesiæ texere proposuerat Moyses, progeniem Sem ultimo loco recenset.

C

3. Septuaginta & unus commemorantur posteritrium filiorum Noë; videlicet 14. ex Japhet, 31. ex Cham, 26. ex Sem, quos totidem linguis & regionibus postea fuisse distinctos, unanimi consensu veteres tradiderunt, ex 31. & 32. versibus hujus capituli.

4. Quorundam nominum hinc positorum in sacris manifesta est ratio: ut, *Misraim* est princeps Ægyptiorum: *Madai* est princeps Medorum &c. In aliis conjecturæ sunt verisimiles, ut ab Ascenas nos Germani sumus oriundi &c. In aliis denique major est difficultas, quam ut certi aliquid afferri queat.

5. *Nimrod coepit esse potens in terrâ*: id est, fuit primus monarcha in mundo; adeoque fuit Bel, non verò Ninus, sed coepit esse potens venatione, hoc est, vicinos perinde infestare ut venator crudelis & astutus infestat feras. Denique coepit esse potens venatione coram Domino, h. e. Deo inspiciente & ferente ipsius effrænem potentiam. Tria itaque hinc sunt discernenda: potestas civilis, illius potestatis acquisitio, & usurpatio; Usurpatio potestatis despoticæ illiusque degeneratio in tyrannidem. Potestatis initium & fundamentum est à Deo immediatè stabilitum, Gen. 9. v. 5. Acquisitio hujus potestatis alia est legitima, alia illegitima. Adhæc potestas civilis & politica distinguenda est à despoticâ: denique potestas despotica in Nimrodo degeneravit in tyrannicâ.

6. Nimrod ædificavit octo civitates, quatuor in Chaldæâ, quas inter excelluit Babylon: in Assyriâ totidem, quas inter excelluit Nineve. Dicuntur autem hæc per prolepsin historicam, quia sequenti demùm capite fit mentio Babylonis. Porro hinc patet *vers. 11.* vocem ASSUR non esse nomen viri, verùm regionis, quâ Nimrod occupavit, non contentus terrâ Sinear, i. e. Chaldæâ.

7. Versus 21. sic habet: *Ipsi quoque Sem nati sunt: etiã ipse est pater omnium filiorum Heber, frater Japheti major.* Hinc quatuor docemur. 1. Nomen Heber esse gentile; ita ut ab illo, non verò ab Abrahamo dicti sint Hebræi. 2. Sem fuisse filium Noë natu maximum. Nam prædicata hu-
jus ver-

ius versus competunt Semo, non verò Japheto. 3. Sem peculiariter appellari patrem filiorum Heber; quia benedictio Sem non ad omnes promiscuè ejus nepotes pervenit, sed refedit in unâ familiâ Heber, & quidem non totâ. 4. Sem & Japhet junguntur; quia tametsi divisi erant, tamen facturum se receperat Deus, ut ex dissidio rursus coirent.

C A P. XI.

I. **T**erra universa erat unius labii, hoc est, linguæ Hebraicæ; quæ cœpit cum Adamo, ut probat Nomenclatura. Gen. 2. quamq; Deus sanctificavit tribus modis: referendo videlicet sacrosanctum suum os hâc linguâ; inscribendo legem Hebraicè tabulis in monte Sinai; & scripturam V. T. consignando Hebraicè. Hinc itaque evidenter probatur, linguam Hebraicam inde à primis suis incunabulis perfectam fuisse, ac proinde his iisdem constitisse literis & punctis, quibus hodieque constat. Deus enim & patriarchæ & prophetæ non usurparunt linguam imperfectam.

2. Descendit Jehova, ut videret urbem & turrim quam edificabant, descendit inquam, non motu locali, sed actu judiciali: patefaciendo videlicet, sibi non esse incognitum quid Babylonii tentarent. Itaque Deus hîc nobis proponitur ut summus judex, qui ex re præsentate pronuntiat sententiam, & quasi coactus in reos animadvertit, ita ut totus hic locus describat processum judicialem, quem omnes ii debent imitari, qui juri dicundo præsumunt.

3. SS. Trinitatis mysterium in V. T. quinque modis ob oculos ponitur. 1. Nomen plurale jungitur cum verbo singulari. Gen. 1. v. 1. 2. Verbum plurale de pluribus in eodem gradu constitutis usurpatur, ut Gen. 1. 26. & hic. v. 7. ubi confundere unam linguam in plures est actio solius Dei. 3. nomen singulare jungitur cum nomine plurali, ut Gen. 3. 22. 4. Unum & idem nomen Dei proprium distinctè in eodem versu repetitur, ut

Gen. 19. 24. Psalm. 45. 8. & 110. v. 1. 5. Angelus Jehovæ, qui toties apparuit Patribus, appellatur Jehova, ut *Gen. 16. 22. 28. Exod. 3. 13. &c.*

4. Babel mysticè significat mundum, id est, civitatem diaboli, & nominatim Romam.

5. Confusio linguarum fuit pœna ad dispersionem populorum, *ἑομοχέλιον*, sed cognitio linguarum, *Actor. 2.* erat donum Dei ad collectionem ecclesiæ.

6. Deus honoris causâ annos mundi à progenie Sem numerat, quemadmodum annales suos insigniunt historici Regum vel consulum nominibus. Id verò non à meritis familiæ, sed à gratuitâ Dei adoptione profectum est. Nam descivit magnâ ex parte posteritas Sem à verò Dei cultu, quod ipsum etiam est argumentum, quòd ecclesia semper fuerit pusillus grex.

7. Lucas *cap. 3. 36.* generationem unam hoc loco interferit, videlicet Cainan: quia videlicet secutus est versionem 70 interpretum, propter Judæos *ἑλληνιστας*. Itaque paci ecclesiæ, & infirmitati aliorum consulens, inveteratum historicum errorem, qui fidem non subvertit, hoc modo toleravit, non verò probavit. Neque enim sic agèda est historiæ veritas, ut labefactetur infirmorum pietas, & dissuatur charitas, quæ primis illis ecclesiæ nascentis temporibus fuit omnibus modis fulcienda.

8. *Thara septuagenarius genuit tres filios, Abraham, Nahor, & Haran.* Quibus verbis definitur natalis annus vel trium istorum, vel duorum, vel unius. Non illud, nec istud: ut doctiores concedunt. Ergo hoc. Quòd autem Abrahami annus natalis indicetur, patet; quia Moyses hoc loco intendit tradere natales electorum patrum, ex quibus Christus descendit. Ergo Abrahami, patris credentium, annus natalis hoc loco exprimitur.

9. Nomen *Jisrah. v. 29.* est nomen Sarai, utrumque enim nomen idem significat. Nam Sarai est princeps: *Jisrah* Chaldaicè est ea, quæ clavum administrationis tenet. Fuit ergo Sarai binominis.

10. Abra-

10. Abraham vocatus est ex patriâ suâ idololatricâ, quæ ipsum jam infecerat *Jos. 24. v. 2.* Itaque vocatio non pendet à merito congrui vel condigni.

11. Eductio Abrahami ex Ur Chaldæorum Deo tribuitur, tanquam auctori. *Actor. 7. v. 2.* Hic autem *v. 31.* tribuitur Tharacho, patri Abrahamæ, non tam auctori vel duci profectionis, quàm filii comiti & quidem principali, sine cujus consilio ille noluit proficisci.

C A P U T X I I .

1. **S**tephanus *Actor. 7.* autor est, Abrahamum bis evocatum fuisse in terram Canaan. Sed Moyse unius tantum vocationis meminit: quia Deus comprehendit in unâ, propter identitatem modi.

2. Dei dicere est facere *Psal. 132.* Ergo Dei benedicere est benefacere.

3. Abstractum in linguâ sanctâ, ponitur sæpè pro concreto, ad amplificandam rei magnitudinem. Ita hoc loco Deus dicit ad Abrahamum: *Eris benedictio*, id est, in summo gradu benedictus.

4. Ad mandatum Dei Abraham, primâ & secundâ fede relicta, per fidem credit, quæ non videt, donec videat quæ credit.

5. *Abraham edificavit altare & invocavit nomen Jehova*, hoc est cultum Dei externum & internum, publicum & privatum conjunxit.

6. Abraham famis causâ in Ægyptum descendit, non ex diffidentiâ: sed quia ex annonæ penuriâ agnovit hanc esse Dei voluntatem, ut migraret inde.

7. Etsi Sara reverâ fuit soror Abrahami, ut patet *ex cap. 20.* tamen non rectè fecit, quòd dissimulato jure conjugali, uxoris suæ pudicitiam prostituit.

8. Deus punivit Pharaonem, non quòd adulterium fuit molitus, sed quia levitate & vagâ libidine peccavit.

C A P. XIII

1. **A**braham *ascendit ex Ægypto* in terram Canaan, quia terra promissionis erat potior quâvis aliâ.

2. *Plaga Australis & septentrionalis* tum hoc loco, tum alibi S. literarum dicitur non ratione Ægypti, sed ratione palæstinæ.

3. *Abraham erat dives valde*, non ratione excessus, sed ratione excellentiæ.

4. Abraham & Loth erant fratres, id est, consanguinei: ubi tenenda regula: Fratres dicuntur necessitudine naturali, civili, vel spirituali.

5. Abraham & Loth hoc loco sunt symbolum amicitiae. Amici enim ut lineæ parallelæ nec recedunt, nec concurrunt. Sic Abraham voluit Lothum ita recedere, ut ipse tamen præstò foret.

6. Abraham sinistram vocat septentrionem: dextram meridiem: versâ videlicet facie ad orientem.

7. *Sodomai erant peccatores Domino nimis*, hoc est, Epicuræi, unde *Ezech. 16.* ecclesia Judæorum defectrix comparatur Sodomæ & Samariæ tanquam duabus sororibus, quibus figurantur peccata contra primam & secundam tabulam.

8. Deus ait ad Abrahamum: *universam hanc terram tibi dabo*, quæ promissio data est Abrahamo, impleta est in posteris, juxta regulam Chrysostomi: *prophetia & promissiones non semper implentur in iis, quibus dantur, sed in iis, propter quos dantur.* Sed quomodo Stephanus *Act. 7.* dicit, Deum Abrahamo ne vestigium quidem pedis in illâ terrâ dedisse, cum Abraham habuerit larem & focum in terrâ illâ? R. Nihil ibi habuit ante mortem Tharæ, quo mortuo aliquid acquisivit.

9. Deus dicit se daturum terram Canaan semini Abrahamæ *usq; in sempiternum*, h. e. quam diu politia Judaica durabit. Et verò mutatio, quam Christus attulit, non fuit veterum promissionum exinanitio, sed stabilitio.

C A P U T

C A P. X I V.

1. **S**criptura *reges* vocat etiam principes civitatum singularum, qui merum ibi habent imperium.

2. *Mare* scriptura vocat quodvis magnum aquarum conceptaculum.

3. *Mare salis* est idem quod infertile; tanquam in terrâ falsuginosâ.

4. Subditi, etiam principes, postquam semel in potestatem eorum, quibus subsunt, cum jurisjurandi religione venerunt, non temerè rebellare debent: sed hoc demùm facere possunt, & debent in casu extremæ necessitatis, omnibus aliis remediis frustrâ tentatis; & quidem ita, ut primò maneamus in terminis defensionis.

5. Lege Dei damnantur fœdera civilia cum infidelibus extra casum necessitatis publicæ, & cùm in fœderibus ponitur spes, & quando fœdera lædunt veram religionem. Sed fœdera cum infidelibus, quæ solo jure gentium continentur, non damnantur, qualia sunt de finibus tuendis, de incursionibus non faciundis, de pace publicâ conservandâ, denique de commerciis mutuis, illæsâ semper pietate.

6. Bellum sive sit defensivum, sive offensivum, potest esse justum exemplo Abrahami. Est autem justum bellum, si geratur publicâ authoritate cum virtute civili, & sine publicæ utilitatis, quæ tria insunt in bello Abrahami. Neque enim ille tanquam privatus, sed ut rex illius terræ jam designatus; vel certè motu extraordinario, hoc est, speciali directione Spiritus S. hoc bellum gessit.

7. Abraham dicitur *Hebraus* nomine gentilitio, non appellativo, quia Spiritus S. benedictum illud à Deo genus, in quo conservabatur ecclesia ita honorificè discriminat à non-Hebræis.

8. *Melchisedeck* aut fuit Deus, aut angelus, aut homo. At neque Deus fuit, neque angelus: quia fuit Rex Salem & simul typus Christi, quorum neutrum potest in

Spiritum, nedum in spiritū increatum cadere. Ergo fuit homo. Proinde aut Noë, aut unus ex posteris Noë, aut homo extra ordinem à Deo creatus. Non primum, quia Noë hoc tempore erat mortuus: non postremum, quia non est fingendum miraculum, ubi nulla est necessitas. Relinquitur itaque secundum. Jam si fuit ex posteris Noë, aut fuit unus ex filiis ipsius, aut ex nepotibus. Sed non fuit ex nepotibus, quia nullus ex iis fuit major Abrahamo patre credentium. Si verò fuit ex filiis Noë, proculdubiò fuit Sem, quia solus ille major fuit Abrahamo: quippe pater omnium Patriarcharum à diluvio ad Abrahamum; & cujus tabernaculum supra *cap. 9.* non obscure innuitur futurum esse in Salem. Hinc in Thargo Jonathanis & Hierosolymitano, Melchisedek dicitur fuisse magnus Sem.

9. Melchisedek fuit *sine patre, sine matre, sine genealogiâ*, non simpliciter, sed secundum quid, quatenus sub typico illo nomine in scripturâ introducitur tanquam sine patre.

10. Melchisedek fuit typus Christi. *Psal. 110. Heb. 7.* tum in iis quæ dicuntur à Moyse, tum in iis quæ non dicuntur, sed reticentur. Dicuntur autem ista sex: quòd fuerit Melchisedek, id est, rex justitiæ: rex Salem, id est, pacis: sacerdos Dei altissimi: quòd benedixerit Abrahamo; quòd ab Abrahamo decimas acceperit: denique protulerit panem & vinum, non tanquam sacerdos, sed ut Rex. Reticentur autem tria, videlicet parentes; principium & finis vitæ; denique genealogia. In quibus omnibus expressus Christi typus est observandus. Nam alia in Christo sunt *prædicta* alia *ad prædicta*. Hinc Christus dicitur sacerdos secundum ordinem Melchisedek. h. e. secundum Hierarchiam seu hieraticam *ἱερατικήν*, quam Moyse hîc narrat.

11. Melchisedek protulit panem & vinum Abrahamo, ut ipsum regiâ benevolentiam & beneficentiâ afficeret, juxtâ & reficeret. Non verò obtulit ista Deo: quia neque vox Hebræa id permittit, neq; Apostolus *Heb. 7.* hoc ta-

hoc ta-

hoc tacuisset; neque ulla analogia inter oblationem panis & veri vini; & oblationem accidentium panis & vini. Et denique hæc analogia non est inter factum Melchisedeci & sacrificulorum, sed inter beneficium Melchisedeci & Christi. Neque est, quòd objiciant locum *Jud. 6. 18. & v. 11. hujus capituli*. Nā ibi verbum **וְאֵלֶיךָ** conjungitur cum voce **וְהָיָה** hīc verò vox conjuncta **וְהָיָה** non est ætiologica sed copulativa. Quid verò inquirunt, an ista, sive oblatio, sive prolatio, panis & vini nullatenus est figura eucharistiæ? *æ* imò est, quatenus factum illud Melchisedeci est typus Christi, cujus corpus & sanguis spiritui nostro est id, quod panis & vinum fuerunt Abrahamo ex pugnâ fello; cujus ipsius rei etiam typus est sacra cœna: ita ut hic typus N. T. respondeat typo illi V. T. Quare sacra cœna est antitypus, h. e. similis typus; quo sensu, *1. Petri 3. v. 21.* dicitur antitypus diluvii. Hīc quoque incidit quæstio: An hostiæ, quæ sic appellantur, sint panis? Ubi distinguimus inter panem univocè dictum & panem imitativum. Panis univocè dictus est communissimum, nobilissimum, jucundissimum, facillimum & quotidianum alimenti genus, quod ex farinâ sufficiente & aquâ probè subactâ, ad eam formam est excoctum, ut optimè nutriat, corporis vires roborer, aliisque cibis usitatè adhibeatur. Brevissimè: Panis est alimentum ex farinâ & aquâ subactum, ad quotidianam vitam, substantiæ nostræ commodum & utile. Quò respexit Christus, quando panem appellavit *ἐπίσσιον*. Itaque hostiæ non sunt panis nisi aliquâ imitatione.

12. Vetustissimus fuit mos, ut qui reges erant, simul sacerdotio fungerentur. Et hoc suâ naturâ non est malum; quia ordinariè in patriarchis, extraordinariè in Melchisedeco & aliis Christi typis hæc talis conjunctio habuit locum. Verùm enim verò ista conjunctio sublata est, partim imperfectè per politiam Moyse, ubi sacerdotalis & ducalis potestas fuit distincta: partim per-

fectè & quidem duobus modis. Primò enim regia potestas & sacerdotalis functio planè fuerunt sejunctæ, inde à Saule 2. *Chron.* 19. usque ad tempora Maccabæorum, ubi in statu reipublicæ & ecclesiæ turbato, illa conjunctio denuò cœpit. Deinde Christus illam conjunctionem sustulit, partim exemplo suo, *Job.* 6. & 8. partim præcepto, *Luc.* 22. v. 21. & *1. Petri* 5. v. 3.

13. *Decimarum oblatio* alia est extraordinaria, ut hæc Abrahami, alia ordinaria, ut in politiâ Moysis. Utraque autem ista oblatio consideratur communiter vel singulariter. Communiter, ut in iis subest ratio moralis, eaque triplex. Nam in decimis tanquam in primitiis omnia nostra bona dicamus sive sanctificamus Deo; & gratitudinem erga Deum probamus; denique honorem habemus ministerio divinitus instituto. Singulariter decimæ considerantur quantum ad determinationem circumstantiæ numeri: item ratione Abrahami, Levitarum & N. T. Et in Abrahami quidem figurâ sacerdotium Leviticum fuit subjectum sacerdotio Christi, *Heb.* 7. Levitis autem hæc pars stipendii fuit necessariò persolvenda, propter mandatum Dei. Ad extremum in N. T. liberè potest observari canon decimarum, tanquam facillima ratio persolvendi salarium ministris ecclesiæ.

14. *Abraham levat manum suam ad Jehovam*, h. e. jurat, & manu sublatâ ostendit, se Deum advocare testem, & simul ultorem, si fallat. Testatur itaque hoc ritu se ad Dei præsentiam confugere, & quasi accersere eum præsidem veritatis & vindicem perjurii. Neque verò temerè profiliit ad hoc juramentum, sed voluit partim se munire Dei nomine, tanquam clypeo contra omnes avaritiæ illecebras, partim ostendere, se jus suum seriò remittere, nec bellum mercenarium gessisse. Sed alia hîc oritur difficultas. Nam si religio fuit Abrahamo aliquid accipere ex istis spoliis, cur decimas suas inde sumfit? Si enim res aliena fuit, non potuit illam Deo offerre. Si verò ipsius fuit, cur juravit se nihil acce-

acce-

accepturum? R. Abraham poterat jure belli aliquid ex spoliis sibi accipere, sed de illo jure, utpote humano, potuit remittere. Sed Deo dare decimas eucharisticas, seu opima, ut vocant, spolia, fuit juris divini & religionis sacræ, ubi ille non potuit dispensare. Itaque Abraham suâ mercede liberaliter cessit; sed partem Deo debitam, pietatis & religionis officio, prælibavit & præcepit.

C A P. X V.

1. **D**Eus naturâ suâ invisibilis compellat Abrahamum vigilantem per modum visionis, non speciem sui exhibendo, sed ad verbum addendo signum extraordinarium præsentia gratiæ. Et ita quoque in alterâ vitâ Deus à nobis videbitur, quatenus præsentiam gloriæ sine fine & sine modo faciet nobis testatam.

2. Deus ait ad Abrahamum: *NE METUAS: ego sum clypeus tibi, & merces tua ampla valde.* Quibus verbis promittit defensionem ab omni malo, & collationem omnis boni; similitudine militari & forensi. Intellegitur autem hîc compensatio gratuita pietatis: tum quia hîc describitur gratia Dei præveniens, tum quia nemo mereri potest, ut Deus ipsi fiat merces.

3. Abraham dicit: *Domine quid dares mihi, cum ego incedam absq; liberis.* Quibus verbis ille non insuper habet promissionem Dei amplissimam, sed in sinum patris sui cœlestis effundit anxietatem cordis sui de orbitate suâ.

4. Elieser, servus Abrahami, dicitur *Filius derelictionis domus ejus*, hoc est, hæres extraneus, vel ut aliis placet, filius discursitationis, hoc est, procurator sedulus.

5. Abraham *credidit* Jehovahæ promittenti, non quòd nunc demùm cœperit credere, sed quòd fides ejus nunc sit illustrior quàm antea: itaque istud credere completitur totam promissionem Abrahamæ factam, temporalem juxta & spiritualement, in primis tamen spiritualement. Agitur enim hîc principaliter de semine Abrahami spirituali, h. e. de Christo & omnibus credentibus.

6. *Credidit Abraham Jehova, qui imputavit hoc illi in justitiam*, h. e. Abrahamum credentem reputavit justum propter benedictum semen Christum; hoc enim constitutum est à Deo, ut qui credit in Christum, sit justus. Itaque fides Abrahamo dicitur imputata in justitiam, non quòd sit ipsa justitia, sed quòd intimè circumplectatur justitiam Christi.

7. *Imputare justitiam* in loco justificationis Evangelicæ, significat hominem non justum in se, sed in Christo quærentem justitiam suam, numerare in albo justorum, seu dare ipsi calculum album, in quo scriptum est nomen novum, *Apoc. 2.*

8. Abraham petit signum à Deo, non quòd non crederet, sed ut firmiùs crederet, videlicet promissioni temporali.

9. Deus *v. 17.* figuratur per furnum fumantem & lampada ardentem, atque ita transit per carnes dissecatas, *v. 10.* Transibant enim per medias partes animalium dissectorum confœderati, ut sanctiùs in unum corpus coalescerent, sacrificio simul inclusi, & etiam significarent se ita dissecandos, si pactum violent. *Jer. 38. v. 18.* Deo itaque hoc omne tribuitur per condescensum.

10. Posterii Abrahami dicuntur fore peregrini in terrâ alienâ & servituri annis quadringentis: ubi tria sunt notanda: 1. posterii Abrahami intelliguntur partim in lumbis ipsius Abrahami, partim in sese, itaque hi anni ab ipsius Abrahami peregrinatione sunt arcessendi. 2. anni peregrinationis, commorationis, & afflictionis sunt jungendi. 3. duplex est terminus à quo hujus epochæ: primus est à primâ vocatione Abrahami, & ita sunt anni 430 *Exod. 12. Gal. 3.* secundus non tam est à nativitate, quàm ab ablactatione Isaaci: & ita sunt anni 400, hoc loco, & *Actor 7.*

11. *Generatione quartâ* reversi sunt posterii Abraham in terram Canaan, id est, seculo quarto. Non enim hîc intelligitur generatio naturaliter, sed civiliter.

12. Ver-

12. Versu 19. & seqq. numerantur decem gentes, quas Deus velit expellere suo tempore. At verò *Jos. ultimo & Actor. 13.* numerantur duntaxat septem, quæ ab Israëlitis sint expulsæ: quia nempe reliquæ vel jam deletæ erant, vel obscuriores erant.

13. Amoræorum iniquitas dicitur nondum esse completa, non quòd Deus delectetur iniquitate, aut exitio pereuntium: sed quia sinit ipsos furere, ut ostendat suam longanimitatem & exercent suorum patientiam, & denique quosdam malos ad resipiscentiam perducatur.

C A P X V I .

1. Sarah tradendo Hagarum Abrahamo in uxorem, peccavit præcipitantiâ, & Abraham accipiendo ipsam, peccavit facilitate: uterque infirmitate fidei erga Deum, & violatione fidei conjugalis. Nam etsi inter maritum & uxorem est mutua obligatio: hujus tamen obligationis autoritas non ex solo contrahentium consensu pendet, sed ex primâ ordinatione Dei, instituentis conjugium. Sed objicitur, peculiari instinctu Dei hoc omne fuisse factum: quia *Gal. 2.* Hagar est typus montis Sinai, Hierosolymæ terrenæ, legis, & fœderis operum, Ismaël autem est typus omnium justitiariorum; Sara verò est typus Hierosolymæ cœlestis, evangelii, fœderis gratiæ, & Isaac omnium credentium. Sed tenendum est illud principium; *Deus malis mediis novit bene uti.* Et verò etsi conjunctio Abrahamæ & Hagar fuit mala, tamen benedictio Dei, quæ intervenit, bona fuit.

2. Sex viri vocati sunt à Deo suis nominibus antequam nati sunt: Ismaël, Isaac, Salomo, Josias, Johannes, & denique Jesus.

3. Ismaël dicitur *homo onager*, ad indicandam ingenii feritatem.

4. *Angelus Jehovæ*, aut est ipse Jehova, id est, filius Dei, ut hoc in loco, aut Jehovæ administer, ut alibi, quando nempe angelus Jehovæ discernitur à Jehovâ aut effecto, aut adjuncto aliquo.

5. Hagar Deum appellat *Deum fortem visionis*, ob providentiam particularem & visionem practicam.

6. Eadem dicit: *Jam video post videntem me*: hoc est, postquam Deus meam solitudinem aspexit, agnosco illius misericordiam, quâ aureâ sententiâ egregiè describitur gratia Dei præveniens.

7. Eadem Hagar puteum appellat *puteum viventis & videntis*: quibus duobus epithetis naturam Dei tum in se, tum in suis operibus, nominatim erga dilectos ipsius filios enuntiat & quidem graphicè.

C A P. XVII.

1. **Q**uintâ hâc apparitione Deus confirmat fœdus suum Abrahamo: quâ repetitione docet fœdus gratiæ esse proram & puppim, vallum & fossatam salutis nostræ.

2. Abraham jubetur esse *perfectus* nempe vi fœderis gratuiti, non verò vi liberi arbitrii. Itaque hoc præceptum non est legale sed evangelicum; & proinde non ostendit quid possimus per nos, sed quid possimus per Dei gratiam. Præcedit enim promissio stipulationem obedientiæ.

3. In fœdere gratiæ duùm generum bona promittuntur Abrahamo, principalia & accessoria. Ibi est promissio Christi: hîc est promissio terræ Canaan, & numerosæ multitudinis sobolis. Sunt autem ista bona temporalia partim appendices bonorum spiritualium, partim typi ecclesiæ N T. itemque vitæ æternæ.

4. Mutatio nominis Abram & Sarai fuit prophetica, tessera videlicet excellentiæ insignis: quia nempe Abram est pater excelsus, sed Abraham est pater magnæ multitudinis, in semine Abrahamæ, id est, Christo, colligendæ. Deinde Sarai est princeps mea, sed Sara est princeps absolutè.

5. Fœdus Dei cum Abrahamo initum, est idem substantiâ cum fœdere quod Deus iniit cum Adamo. *Gen. 3.* Nam substantia fœderis gratuiti vertitur in promissio-

missione gratiæ, factâ in Christo, & stipulatione fidei. Quæ sanè substantia est æterna & immutabilis in V. & N. T. Accidentia sunt mutabilia, suntque vetera & nova. Et hoc sensu unum idemque fœdus gratiæ distinguitur in vetus & novum. Itaque fœdus vetus, quatenus legale intelligitur, non est confundendum cum fœdere veteri evangelico.

6. Circumcisio primâ specie ridicula videri poterat Abrahamo. Nimirum stultescere oportuit Abrahamum, ut in Deo saperet. Pulcherrima tamen hîc est analogia inter signum & signatum. Duabus enim de causis jubet Deus circumcidere præputium. 1. ut ostendat vitiosum esse, quicquid naturaliter gignitur. 2. ut doceat salutem ex benedicto Abrahæ semine proditurum. Primùm itaque quicquid ex suâ generatione proprium homines habent, in circumcissione damnat Deus, & simul illîc, nempe in semine Abrahami, jubet quærere benedictionem.

7. Circumcisio dicitur fœdus, & signum fœderis. Prior phrasis est metonymia sacramentalis; posterior est expositio istius metonymiæ, quæ quidem expositio posita est in his quinque. Circumcisio enim fuit signum. 1. memorativum fœderis, quod fundatum fuit in semine benedicto, prodituro ex lumbis Abrahæ. 2. distinctivum, quo populus fidelis admittens signum hoc, primâ fronte ridiculum, ab aliis populis discernebatur. 3. repræsentativum corruptionis seu miseriæ. 4. demonstrativum remissionis peccati originalis, propagati per generationem. 5. figurativum regenerationis spiritualis.

8. De circumcissione summatim ista sunt tenenda. 1. Administratio hujus sacramenti non fuit alligata ministerio verbi. 2. Circumcisio fuit præcisè necessaria, non ad salutem æternam, sed ad hoc ipsum, ut aliquis non excinderetur ex populo Dei. 3. Impositio nominis in circumcissione non fuit præcepti, sed exempli, & quidem exempli laudabilis. 4. Circumcisio nunc cultro, nunc lapide acuto fuit peracta. 5. Circumcisio octavo

die fuit administrata, ex canone charitatis. 6. Circumcisio & Baptismus in N.T. rectè inter sese conferuntur, tanquam duo typi: non ratione ceremoniarum consentientes, sed ratione significationis & obsignationis.

9. Etsi sceminae in V.T. jus haberent ad bona fœderis: tamen ipsis non fuit administratum sacramentum circumcisionis; quia Deus parcens infirmiori sexui, naturalis generationis (cujus principium activum est in maribus) pravitatem & refectionem spiritualem in hoc sacramento lucere voluit. Deinde hâc ratione innuitur discrimen V.& N.T. quantum ad sacramentorum facilitatem.

10. Non-circumcisi fuerunt exterminati ex populo Dei, non quòd circumcisio fuerit absolutè necessaria ad salutem, sed ad fœderis societatem: cujus signum qui contemnit, rem signatam contemnere præsumitur. Neque enim Deus in populo suo agnoscit, qui adoptionis tesseram gestare nolunt.

11. Circumcisio dicitur fœdus seculi, partim ratione singulorum credentium, quibus fuit sacramentum æterni fœderis: partim ratione politiæ ecclesiasticæ, quæ longo duravit tempore, partim denique ratione sanctionis & permutationis. Sanctio in eo est, quòd Christus mutato signo veritatem sancivit. Permutatio in eo, quòd Baptismus surrogatus est in locum circumcisionis. Unde Apostolus. *Col.2.* dicit, nos esse circumcisos spiritualiter. Cur verò sub initium N.T. circumcisio adhibita fuit unà cum Baptismo? R. Non fuerunt duo sacramenta initiationis: sed circumcisio fuit adminiculum infirmitatis Judæorum ad tempus permissum, donec meliùs innotesceret libertas Christiana.

12. Abraham *risit*, neque tamen fuit reprehensus, ut sequenti capite Sara. Nimirum risus Abrahami fuit risus lætitiæ & admirationis: Saræ autem risus fuit dubitationis.

13. Singulæ piorum familiæ debent esse ecclesiæ: ut videmus in domo Abrahami. Nam ingens illa turba
quam

quam habuit domi suæ, & quæ ferè populum æquaret, facilem se præbet in re arduâ & ridiculâ, videlicet in circumcissione suscipiendâ: quia nempe didicerant parere Deo. Neque tamen hoc modo cœca papistarum obedientia stabilitur, quia Abraham suis domesticis exposuit voluntatem Dei, quam hodiè habemus expositam in scripturâ.

14. Deus ita domum Abrahami adoptat, ut Ismaëlem fratri Isaaco, quasi inferius membrum, adjungat; donec se & patris domo & fraternâ societate abdicet. Supervacua igitur circumcisio non fuit, quæ Ismaëli fuit administrata. Huc spectat distinctio circumcissionis & Judæi. *Rom. 2. cis finem, & Col. 2.* Nam qui Judæi erant in manifesto, h. e. communionem externam fœderis participabant, ii circumcidebãtur in manifesto; qui verò Judæi erant in occulto & manifesto simul, unâ cum circumcissione externâ accipiebant internam: non quòd duæ circumcissiones essent, hoc est, duò sacramenta, sed quòd sacramentum plenum constaret actione externâ & internâ. Dico plenum sacramentum: quia sacramenta sunt signa vel non-plena vel plena. Signa non-plena sunt hypocritis, quibus obsignant communionem externam. Sed credentibus sunt signa plena, utpote quibus obsignant communionem utramque. Itaque hypocritæ habent jus non tantùm ad fœdus, sed etiam in fœdere, quantùm ad externam promulgationem, sed soli credentes habent jus ad rem & in re, quantùm ad vocationem internam, quâ sancitur externa.

C A P. XVIII.

I. **S**Extâ hâc apparitione Deus iterum confirmat animum Abrahami, sicut aliis subinde atque aliis adminiculis opus habet sanctorum fides. Deinde Deus gratiæ suæ magnitudinem hoc modo voluit ornare.

2. Tres angeli apparuerunt Abrahamo formâ humanâ, eaque verâ, non apparenti. Quia Deus Abrahamum spectris eludere noluit. Ista igitur corpora ange-

D

lis aptavit per œconomiam & *συνεπιβάσειν*, videlicet creando extra ordinem. Porro angeli in his corporibus verè comederunt, quia etsi corpora ipsis non fuerunt hypostaticè unita; ac proinde ibi non fuit anima sensitiva, quæ requiritur ad comedendum; tamen ibi fuit forma assistens, quæ corpora ista movebat, ut cibus verè assumerent.

3. Tres hi angeli comederunt ex dispensatione formæ assumptæ, ut laterent usque ad tempus revelationis. Comederunt autem manducatione externâ seu orali, & eâ quidem naturali, non verò supernaturali: ita ut frustrâ hîc sit Philippus Nicolai, quando sic argumentatur: Angeli comederunt oraliter & supernaturaliter: Ergo corpus Christi in eucharistiâ etiam manducatur manducatione orali & supernaturali. Nam angeli manducarunt hoc loco & oraliter & naturaliter, quia assumpserunt vera corpora organica, adeò ut pedibus ambulaverint, eosque lavari permiserint, manibus palparint, ore cibum exceperint. Sed quomodo cibum consumserunt? R. Vi quâdam igneâ juxta illud Augustini: *Sicut sol aliter absunit humores, aliter terra arida: Sic angeli & Christus post resurrectionem & nos aliter atque aliter consumimus cibos.*

4. Abraham adoravit tres hosce angelos, non adoratione religiosâ, sed civili. Ignoravit enim angelos esse *Heb. 13. v. 2.* Ex quo autem ipsos agnovit, unum adoravit adoratione religiosâ, reliquos duos civili. Ratio prioris est: quia unus ex illis fuit Christus, caput angelorum. Hic enim aliquoties in hoc capite dicitur *Jehova, & v. 25.* judex mundi. Ratio posterioris est: quia etsi angeli non sunt concives nostri, ratione hujus vitæ animalis: tamen sunt concives nostri, quatenus in unâ civitate Dei nobiscum versantur. Porro cultus hic civilis sive socialis est subdividendus partim ex gradu suo, quòd sit major vel minor, partim ex subjecto, quòd exhibeatur in ecclesiâ vel republicâ, partim denique ex objecto, quòd exhibeatur angelo vel homini.

5. Chri-

5. Christus assumpsit corpus in V. T. duplici fine. 1. ut œconomia temporaria & extraordinaria esset præludium incarnationis seu œconomix perpetuæ & ordinariæ; 2. ut suam *φιλανθρωπίαν* unâ cum reliquis angelis faceret testatam, conversando ita inter homines.

6. In Abrahamo habemus exemplum hospitalitatis, quâ hospitem necessitati succurrere voluit: itemque figuram pulchram œconomix. Nam operæ domesticæ hic ita distributæ fuerunt, ut suavissima harmonia & symphonia bene moratæ domus occurrat. Quò spectat illud Politicorum, *In quavis societate, tanquam in ci-tharâ, debere chordas diversas unum edere concentum.*

7. De Sarâ prædicantur tria. 1. quòd ipsi desierit esse secundum consuetudinem mulierum, hoc est, quòd nulla in eâ fuerit concipiendi facultas naturalis. 2. quòd riserit apud se, hoc est, interno risu peccaverit. 3. quòd negaverit se risisse, quia timebat, timore scilicet verecundo. Turpe enim erat hospites deridere, vel ipsis arridere.

8. Deus dicit. *v. 13. An Deo quicquam potest esse mirificum,* Quibus verbis subest antithesis inter immensam Dei virtutem, & inter angustum modulum, quem sibi ex carnis ratione fingebat Sara. Objurgatur enim Sara, quòd Dei potentiam intra sensus sui metas incluserit. Hæc itaque est absoluta Dei potentia, quâ potest omne id, quod vult, & quod velle potest. Velle autem potest omne id, quod ipsius majestatem decet. Itaque non potest facere contradictoria: quia illa non potest velle. Non autem potest illa velle: quia non potest illa intelligere.

9. Deus ait, *se nihil posse celare Abrahamum, quòd in eo sint benedicenda omnes gentes, & quia præcepturus sit filiis suis, ut custodiant præcepta Jehovæ.* Prima ratio est ab amore Dei antecedente. Sumit enim Deus beneficiæ materiam ex seipso, non ex meritis Abrahami: quia non aliunde, quàm ex divino fonte benedictio Abrahamæ fluxit. Quid ergo causæ est, cur assiduo tenore gratias suas conferat nobis Deus, nisi quia nos in debi-

to amore semel complexus, se ipsum abnegare non potest; ideoque se ipsum in nobis, & sua dona quodammodo coronat, imò verò honorat. Ratio secunda est ab amore Dei consequente, quo fit, ut grata sit ipsi nostra obedientia quam in nobis operatur.

10. Peccata clamantia dicuntur omnia illa, quæ sunt abnormia, & cum quibus conjuncta est impœnitentia, conscientia dedolentia, contumacia, contemptusque Dei & hominum: præsertim cum etiam illi, qui ea punire & prohibere debent, non puniunt aut prohibent, sed connivent, indulgent, & simul etiam faciunt. In scholis tamen quatuor peccata hoc nomine tanquam insigniora recitantur: putà homicidium voluntarium, immundities nefanda, oppressio miserabilium personarum, & denique detentio mercedis.

11. Deus ait, *Descendam & videbo clamorem &c.* ut non solum notet justitiam sui judicii, quo causam certò cognoscit, & ordine composito ad pœnas progreditur: sed etiam accuset securitatem Sodomitarum, qui tam securè peccatis suis indulgebant, ac si Deus ignoraret, quid in terris ageretur.

12. Rursum Deus ait, *se visurum an fecerint consummationem.* h. e. an sint prorsus deplorati, ut qui ad extremum malorum sese projecerint, an verò adhuc sint in medio cursu, unde revocari queant ad sanam mentem.

13. Abraham *stetit adhuc coram Jehovahâ*, hoc est, fide intuitus est ipsum. Nam stare coram Jehovahâ, est ipsi ministrare ex officio fidei, spei, & charitatis.

14. *A capite 11. Genes. ad cap. 23.* describuntur 15 peregrinationes & quasi exilia Abrahami, patris illius credentium. Quod itinerarium est figura ecclesie peregrinantis: quomodo itinerarium Apostoli Pauli in actis est figura officii pastoralis, quod omnium est molestissimum.

15. *A cap. 12. Gen. ad 22.* describuntur octo apparitiones Dei Abrahamo factæ, quæ sunt totidem documenta favoris Dei extraordinarii.

16. Abra-

16. Abraham jure petit impiis parci propter pios, quia ad id petendum charitate fuit impulsus, & quia petit præcipuè piorum rationem haberi, neque etiam petit impunitatem, sed pœnæ dilationem; denique in petitione ipsius fuit tacita conditio, quatenus nempe justitia Dei id posset ferre.

17. Ut supplicatio Abrahami nō fuit iniqua, sed charitati congrua: sic promissio Dei, quā promittit veniam multis impiis, propter paucos justos, non pugnat cum ipsius justitiâ; quia est conditionata concessio dilationis.

18. Deus dum castigat corpus aliquod populi, bonos cum reprobis involvit iisdem pœnis, ut filiis suis medicinam adferens, eorum salutem procuret, impios autem perdat. Agit enim Deus tanquam agricola, qui grana tritici simul cum paleâ triturat, adhibito bove vel flagello, ut triticum quidem segreget in horreum, quisquillas verò abjiciat.

19. Abraham ad sextam usque interrogationem, in suâ intercessione procedit, non ex animi perturbatione, sed ex affectu charitatis intensæ erga Sodomitas, & ex affectu filialis fiduciæ erga Deum. Itaque hîc habemus methodum precationis, quâ sic in colloquium familiare descendimus cum Deo, ut replicemus, duplicemus, triplicemus, & quadruplicemus.

C A P. XIX.

1. **D**uo angeli venerunt ad Lothum; quia tertius, nempe Christus, mansit cum Abrahamo, verum ita, ut tandem supervenerit.

2. *Loth sedebat in portâ* civitatis, non ut homo ignavus, neque ut judex, neque ut mercator, sed ut paterfamiliâs, qui expectabat greges suos sub vesperam, & simul hospitalitatis officia peregrinis exhibebat.

3. Servus usitato hebraismo appellatur puer, etiam apud Romanos, ut testantur illa nomina Marcipor, Cai-

por &c. quia nempe potestas heri in servum debet esse limitata & moderata, qualis affectus est erga pueros. Deinde hæc nomenclaturâ significatur officium amoris, & fidelitatis, & reverentiæ erga herum.

4. Angeli simulant se in plateâ pernoctaturos, ut virtutem & humanitatem Lothi, & impietatem Sodomitarum explorent. Est itaque hæc simulatio explorationis, non verò virtutis, amicitia, doctrina, aut officii; illa est quâ hominum animi explorantur & excitantur quomodo Christus *Luc. 24. 28.* simulavit, ut desiderium sui, discipulis excitaret, hæc est species mendacii, quando reverâ nihil tale subest, vel dolus malus, & hypocrisis concurrunt.

5. Sodomitæ quasi exercitu collecto hostiliter ad obsidendam Lothi domum concurrant, partim cœcâ libidine, partim ferociâ in advenas & peregrinos acti.

6. Etsi Loth justus fuit. *2. Pet. 2. 7.* tamen inconsideratè prostituit filias suas pro hospitem incolumitate; quia gravius malum minori modo tum demum propulsare licet, si sit malum pœnæ. Nam in malis culpæ planè non datur electio. Et verò Loth non habuit jus in filias absolutum & illimitatum, sed debuit illas ab injuriâ & infamiâ defendere.

7. Cœcitas Sodomitarum non fuit totalis privatio visus, sed audentia, ἀοργασία, ut loquuntur, hoc est, retentio visus, eaque miraculosa, quâ facultas visus ita fuit turbata, ut cyclopes isti alia viderent, alia non viderent. Talis fuit audentia illorum, qui ab Elisæo fuerunt percussi. *2. Reg. 6.* Utraque autem illa fuit conjuncta cum cœcitate mentis. Alia fuit audentia discipulorum Christi, *Luc. 24.*

8. Angelus promittit Lotho se urbem Zoar non subversurum, cum tamen tota pentapolis fuerit exitio destinata à Deo. Nimirum conditionaliter hæc comminatio est intelligenda, nisi Loth pro urbe illâ intercesserit. Confer. *Gen. 40. & Deut. 29.*

9. Zoar est typus hospitii ecclesiæ; sicut Sodoma est
typus

typus Romæ, idque ob bestialitatem & pœnam extraordinariam.

10. Angelus, id est, Jehova, dicit: *Non potero facere quicquam, donec illuc veneris*: Non quòd executio decreti divini pendeat ab actione Lothi simpliciter, sed ab ipso decreto Dei de egressione Lothi. Deus enim ita decreverat subversionem Sodomæ, ut egressione Lothi simul quoque decreverit, sine quâ subversio illa fieri non poterat.

11. *Jehovah pluit à Jehovah*, hoc est, filius pluit à patre. Quæ interpretatio non solum est fidei analogica, sed etiam cogens, & ex ipso contextu desumpta, ut Concilium Sirmiense *Can. 14.* anathemate sancit. Quòd autem sit cogens, ita patet: Ille Jehova pluit à Jehovâ, qui describitur à *versu 18. ad 23.* At verò ille est filius Dei. Ergo.

12. *Jehovah pluit à Jehovah*, non quòd plures sint Jehovæ, sed quia quælibet persona sacrosanctæ Trinitatis est Jehova. Non autem sunt tres Jehovæ uti sunt tres Elohim: quia sicut tres personæ sunt unus Deus omnipotens, æternus &c. ita quoque sunt unus Jehova.

13. Uxor Lothi miraculosâ metamorphosei conversa fuit in statuam salis, nempe metallici, quod imbre non liquefcit, ut est apud Plinium. Ratio autem hujus divini judicii est: quia nolebat Deus, ut Loth & ejus domestici respectarent ad urbem Sodomam, ne amor rerum relictarum ipsos revocaret aut retardaret. Hic itaque videmus peccatum, quod ex levitate materiæ videtur esse veniale, ex gravitate ipsius formæ esse mortale.

14. Incendii & excidii hujus vestigia sunt apud Tacitum & Solinum.

15. Ignorantia Lothi ebrietate inducta, non excusat peccatum aut elevat, sed potius aggravat: tum, quia non fuit ignorantia simplex, tum, quia Loth non peccavit ex ignorantia, ut ut peccaverit ignorans.

16. Deus ex incestu & scortatione permittit gigni liberos, non quòd probet ista peccata, sed quia adeò est

bonus, ut benedicat etiam actioni naturali, quâ naturalis est.

C A P U T X X.

1. **A** Braham peccavit dicendo de Sarâ: *soror mea est.* Etsi enim verè soror erat, hoc est, vel neptis ejus ex fratre Haran, vel soror germana ex alterâ uxore Tharæ patris ipsius, tamen non fuit tantum soror, sed etiam uxor. Itaque Abraham peccavit, non contra veritatem simpliciter: sed *ὁμωύτως* dicendo partem veritatis. Peccavit inquam contra pietatem in Deum, diffidentiâ; contra charitatem communem in proximum, æquivocatione morali; & contra charitatem singularem in uxorem, quam hâc ratione prostituit.

2. *Abimelech* erat commune nomen regum Philistæorum, sicut & Achis. Ita reges Moabitarum gaudebant nomine Eglon: Reges Ægypti primò gaudebant nomine Pharao (duodecim enim in sacris commemorantur hoc nomine) postea nomine Ptolomæus.

3. Etsi Abimelech in simplicitate cordis sui accepit Saram, hoc est, bonâ fide id fecit, tamen peccavit vagâ & temerariâ libidine, & eam ob causam est punitus à Deo, unâ cum totâ suâ aulâ. Ista verò pcena fuit castigatio præteriti peccati, & impedimentum futuri.

4. Somnia sunt naturalia, divina, vel diabolica. Et divina rursus sunt theorematica vel allegorica. Somnium Abimelechi fuit Theorematicum. Tenendus autem hîc est canon: *Somnia divina non sunt de negotiis levibus, nugacibus, & momentaneis, sed de rebus gloriam Dei & salutem ecclesiæ & reipublicæ, aut certorum hominum concernentibus; & semper comitem habent evidentiam, piamq; sollicitudinem.*

5. Propheta in sacris literis dicitur ratione prædicationis, prædictionis, vel scriptionis propheticæ. Ita ut sæpenumerò hæc tria concurrant. Abraham hoc loco dicitur propheta duobus prioribus modis.

6. Abraham duxit Saram consanguineam suam in uxorem:

uxorem:

uxorem: quia tum temporis certi gradus in matrimonio observandi nondum erant definiti. Neque tamen Loth ideo excusatur, quia prohibitio graduum in lineâ ascendente & descendente est simpliciter naturalis: secus se res habet in prohibitione graduum in lineâ obliquâ, si- ve collateralis. Ibi enim est dispensatio divina in gradu necessitatis ineluctabilis, utpote quæ non habet legem.

7. Abimelech dat Abrahamo mille argenteos, & di- cit, *Erit tibi velamen oculorum*. Levat enim dolorem mu- nere, & officium Saræ explicat sermone allegorico, tum ut viro subsit, tum ut deinceps caveat, ne quando se vi- ro subesse dissimulet. Docetur itaque Sara, maritum cui juncta est, instar veli esse, quo se tegere debeat, ne expo- sita sit alienis.

C A P U T X X I.

1. **V**isitat Deus homines duobus modis. 1. gratiosè, filios suos benedictione temporali & æternâ, spi- rituali & corporali. 2. judicialiter, hostes suos intra & extra ecclesiam.

2. Quando infans ablaçtebatur apud veteres, quasi instaurato conjugio instruebant convivium. Deinde abla- çtatio Isaaci est mystica: quia hinc incipit nova Epochâ promissionis.

3. Ismaël fuit ejectus domo, quòd illuderet Isaaco, hoc est, interprete Apostolo *Gal. 4.* atrocibus eum ver- bis infestaret, proculdubiò superbiens primogeniturâ suâ. Quod factum non fuit puerile, sed partim malo ani- mo ab Ismaële conceptum, utpote agente ad minimum annum ætatis 17. partim verò profectum à matre tan- quam insaniente, quòd rem filii sui quasi retrolabi pro- pter Isaacum animadverteret. Duplex autem hoc loco est typus. 1. ecclesiam adulterinam solere persecutioni- bus infestare filios promissionis. 2. justificationem le- galem & evangelicam non posse habere locum in eâ- dem domo, id est, sive ecclesiâ, sive homine.

4. Licet jurare, si necessitas & utilitas flagitent. Licet,

D 5

inquam, jurare per nomen solius Dei, quia juramentum est species adorationis religiosæ. Quòd autem Christus *Matth. 5.* & Apostolus Jacobus *cap. 5.* juramentum simpliciter damnare videntur, id accipiendum est de privatis, temerariis, & impiis juramentis, quando homines privati in quâlibet re jurant, non flagitante necessitate vel utilitate, aut etiam jurant per creaturas.

C A P U T X X I I.

I. **T**entatio est rei occultæ vel ignotæ exploratio, ad ejus notitiam vel nobis vel aliis eliciendam. Estq; divina, diabolica, vel humana. Tentatio divina est immediata vel mediata, activa vel permissiva, & utraq; est electorum vel reproborum. Illos tentat Deus igne probationis; hos igne consumptionis. Hanc & non illam deprecamur in oratione dominicâ. Etsi enim omnis tentatio Dei bona est, rectè tamen eam deprecamur, ratione infirmitatis nostræ. Porrò Deus hoc in loco tentat Abrahamum, non ut aliquid discat, sed ut aliis discendum aliquid proponat, quod sibi cognitum erat penitissimè: aliis dico, sive iis ipsis, qui tentantur, quorum interest ut probent & pernoscant seipso, sive aliis, quorum interest ut partim videant exempla fidei, patientiæ, & obedientiæ sanctorum, atque in iis Deum glorificent, partim ut sese ipsi comparent ad eorum imitationem. Hinc Augustinus eleganter ait: *Tentatur Abraham, ut pia ejus obedientia probetur seculis in notitiam proferenda nõ Deo:* quia plerumq; animus sibi ipsi innotescere non potest, nisi vires suas, non verbo sed experimento cognoscat. Et Ambrosius inquit, *Deus tentat ut coronet, Diabolus ut subruat:* quia nempe Deus tentat, vel ut gloria gratiæ ipsius per nostram fidem, constantiam &c. illustrior fiat & celebretur; vel ut virtutes nostræ aliis exemplo sint, vel ut carnis superbia humilietur, securitas excutiatur, hypocrisis detegatur, & ita nos sciamus quid in nobis sit; vel ut peccantes pœnitentiam agant; vel ut

vel ut imperfectè boni in bono progressus faciant. Itaque divina tentatio est probatio & detectio virtutis vel vitii in homine latentis. Fit autem per bona & mala media; quia Deus tentat per mandata gravia, per bonorum abundantiam, per afflictionem, per dilationem auxilii, per pseudoprophetas, denique per Satanam.

2. Deus jubet Abrahamum occidere filium suum, neque tamen repugnat legi suæ. Vetat enim lex occidere, nisi quem Deus jusserit occidere, videlicet jure dominii sui, quod habet partim absolutum, ut creator in creaturam, partim ordinatum, ut judex in peccatorem.

3. Obedientia Abrahami non pugnat cum fide, quam habuit promissioni Dei. Credidit enim contra spem sub spe. *Rom. 4.* hoc est, persuasissimum habuit, fore ut Deus Isaacum vitæ restitueret. Itaque in hoc facto duplex locus fidei est notandus. Unus, quòd mandato Dei in simplicitate acquievit Abraham, tanquam revelatæ voluntati ipsius: alter, quòd nihilominus ad providentiam respexit, in quâ latet voluntas Dei homini incognita, fiduciaque voluntatis illius incognitæ, acerbiter cognitæ voluntatis superavit, ut patet ex *versu 5. & 8.*

4. Sententia Dei duplex est in scripturis: una simplex, quâ definit aliquid fieri, & hæc est immutabilis & peremptoria: altera conditionata, quam tentandi causâ patefacit, & hæc est mutabilis, ita Deus noluit simpliciter oblationem Isaaci, sed voluit patefactionem fidei Abrahami.

5. In monte Moriah Isaac jubetur immolari; ubi postea templum est conditum, & ubi Christus est immolatus: cujus rei typus fuit Isaac, hoc modo: Isaac portavit ligna ad holocaustum, & ipse debuit esse holocaustum: & obedivit patri Abrahamo: porrò vincitur, imponitur rogo, & tandem liberatur divinitus, quæ omnia in Christi passione sunt luculentissima.

6. Abraham dicit pueris suis, *Cùm adora verimus, revertemur ad vos:* quia nempe fide reputabat Deum pos-

se Isaacum à mortuis suscitare. *Heb. ii.* Itaque nesciens formam rei futuræ, prophetavit sciens de eventu.

7. Angelus Dei, id est, Christus dicit ad Abrahamum, *Nunc cognovi, quòd Deum timeas*, hoc est, quòd excellentissimo timore Dei, & insignissimâ obedientiâ sis præditus, cum quâ præcedentes obedientiæ numero decem non sint conferendæ, sed quasi intereant, sicut teruntius interit in divitiis Cræsi.

8. Ut Isaac immolandum, ita quoque aries immolatus, fuit typus Christi. Hic enim est verus aries, qui cornu & robore Deitatis & humanitatis ferit omnes hostes suos. Deinde sicut aries fuit implicatus vepribus: ita Christus intricatus fuit spinis peccatorum nostrorum in arâ crucis, eaque inibi dissolvit. Unde philologi sacri existimant Christum. *Marci 15.* alluisse ad hunc locum istis verbis: *Eli Eli lama sabacthani.*

9. Mons Moriah duplicem accepit nomenclaturam, nimirum Jehova videbit seu providebit, & Jehova videbitur seu providebitur. Est autem significationis hujus activæ & passivæ eadem ratio, & quidem gemina. I. est didactica, hoc modo, Jehova videbit & videbitur in monte, hoc est, in rebus perplexis, quarum nullus cernitur eventus, providentia Dei erit præstò. Altera est prophetica & typica, hoc sensu: Jehovah, id est, Christus videbit & videbitur in monte isto. Et sanè hoc ad Christum optimè refertur, qui in typo Isaaci immolandi, & arietis immolati visus est, & in seipso videndus erat in illo ipso monte.

10. Deus per seipsum jurat, quando aliquid decernit, & illius decreti sensum cordibus nostris imprimit.

11. Deus dicit ad Abrahamum: *Quia fecisti hanc rem, Benedicam tibi &c.* non quòd Abraham suâ obedientiâ meruerit benedictionem Dei, sed quia Deus non nisi credentibus & obedientibus decrevit benedicere. Itaque particula *Quia*, non significat causam meritoriam, sed subalternam & sine quâ non. Nimirum promissio gratuitæ benedictionis est fidei nostræ objectum,

ctum,

Etum, & simul obedientiæ fidei præmium. Promittit enim Deus, ut credamus, & quia credimus, amplius promittit. Denique particula *Quia*, non est tam causalis, quàm rationalis, & significat notitiam benedictionis divinæ, juxta maximam Theologicam, *Res in scripturis dicuntur fieri, quando pernoscentur.*

12. Semen Abrahami *possedit portas inimicorum suorum*, hoc est, vicit hostes suos. Nam in portis & erant propugnacula, & judicia exercebantur. Promittitur autem his verbis victoria partim corporalis, quam Israëlitæ reportarunt de Cananæis: partim spiritualis, quam omnes credentes reportant in Christo.

13. Nomen *seminis*, v.17. sumitur collectivè, v.18. singulariter de Christo, ut Apostolus explicat *Gal. 3.* Nimirum oportet modum subjectorum ex prædicatis, & vicissim modum prædicatorum ex subjectis cognoscere.

14. In femine Abrahami sibi benedicunt omnes gentes, hoc est, fide agnoscunt sese propter hoc semen esse benedictas. Qui est insignis locus pro justificatione Evangelicâ, & ea quidem passivâ.

15. Nachor justæ uxori superinduxit alteram, quæ Hebræis & Jureconsultis dicitur concubina uxor. Fuerunt enim olim triplices uxores, justæ, concubinæ, & prostibula. Prima est uxor vera & legitima: secunda & tertia est uxor apparens & illegitima. Cæterum concubina apud veteres non erat instar scorti, sed erat uxor secundaria, non verò primaria, i. e. materfamiliâs, quæ sola nuptiarum celebritate & bonorum societate gaudebat. Est itaque hoc exemplum, non juris sed facti: quia Nahor ex aliorum consuetudine sibi licitum putavit, quod ex pessimâ corruptelâ erat natum.

C A P. X X I I I.

1. **H**Ebron appellatur *Kiriatarbah*, idque vel à nomine conditoris Arbah. *Jos. 14.* vel quòd ordinibus quatuor distincta foret, uti solebant primitus distingueret.

re ampliores civitates, vel denique quòd quatuor patriæ, id est, Adam, Abraham, Isaac, & Jacob, eò loci sepulta essent.

2. Etsi parentes & necessarii nostri non moriuntur nisi voluntate Dei arcanâ: tamen plangere mortem ipsorum est pium, neque contra Dei voluntatem revelatam, quæ sola est actionum nostrarum regula.

3. Luctus mortuorum moderatus est juris gentium & juris divini, ut hoc modo non solum testemur amorem in defunctos, sed etiam communem generis humani maledictionem voluntario luctu prosequamur.

4. Perpetuus ecclesiæ ritus sunt funerum ceremoniæ, ut de morte, de miseriis humanis, de illarum causis & remediis, de judicio Dei, de Christi beneficiis, de immortalitate & vitâ æternâ se pii commonefaciant, & vitam suam Deo commendent.

5. Abraham appellatur *princeps Dei*, i. e. non solum magnus princeps, quo sensu dicuntur montes Dei, & cædri Dei: sed etiam princeps pius sive divinus.

6. *Abraham adorat coram populo terra*, h. e. politicum habuit honorem incurvando sese, & simul gratias egit pro eximiâ humanitate.

7. Religio secum fert curam sepeliendi, quia sepulcra non solum sunt sacra jure gentium, sed etiam sunt symbola communionis sanctorum, adeoque & resurrectionis. Nam quia certi sumus mortuos in Domino non exulare à regno Dei, illos in sepulcris recondimus, donec simul colligamur. Et hinc est quòd Hebræis cœmeterium appellatur **בית המנוחות**.

8. Hetthæi offerunt Abrahamo gratuitum sepulcrum, sed Abraham proprium jus possessionis quàm gratuitum maluit: Ne si fortè paulò post vel Ephronem, vel ejus posteritatem pœniteret hujus liberalitatis, ipse excideret jure ac possessione sepulturæ, quæ ipsi & posteris in memoriam revocaret, terram illam ipsis à Deo esse promissam.

9. Ste-

9. Stephanus *Actor.* 7. dicit: Abrahamum in terrâ Canaan, ne latum quidem pedem possedisse, scilicet jure promissionis: at hîc dicitur ipsum possedisse sepulcrum, videlicet jure emptionis. Deinde Abraham non habuit proprietatem civilem in istâ terrâ, sed proprietatem religiosam sepulcri, ut Deus eo symbolo veritatem suam confirmaret, & patres amplius obstricti essent religione sepulchri in expectatione terræ promissæ.

10. Non est sacrilegium sepulchra vendere, ut Canonistæ docent. Sed nundinationem hâc in re exercere est Simonia.

11. Siclus sacer erat dimidius thalerus imperialis. Communis erat quarta pars thaleri imperialis. Itaque quadringenti sicli hoc loco sunt centum thaleri imperiales.

12. Argentum transiens inter mercatores est mone-
ta probatissima ratione quantitatis & qualitatis.

C A P U T X X I V.

1. **A**braham prospicit filio suo Isaaco de conjugio, & quidem sollicitissimè. Ratio prioris est; quia tum potestas, tum *σοφία* patria requirit, ut parentes liberis de hoc tali tantoque statu, qui est nova quædam vita, provideant. Ratio posterioris est, quia Abraham suum genus noluit misceri cum Cananæis, quos sciebat divinitus jam exitio devotos esse: Quia enim sacro fœdere Deus ipsum à Cananæis diviserat, meritò timet, ne Isaac affinitate sese cum illis implicans, Dei jugum excutiat. Hinc itaque patet, 1. consensum parentum esse de necessitate conjugii liberorum nondum emancipatorum. 2. conjugia cum alienis ab ecclesiâ esse valde periculosa.

2. In juramento, quod Abraham exigit à servo suo principe, oportet spectare substantiam & circumstantiam. Substantia est, quod Deus testis invocatur simul & judex. Circumstantia est, quod servus jubetur manus subdere femori heri sui. Hujus ceremoniæ ratio est a-

lia civilis & communis, alia religiosa & specialis. Civilis est, quòd hic ritus est symbolum subjectionis familiarissimæ, quasi illi, qui jurabant, profiterentur se ex illo femore prodiisse, ac proinde illi, cui jurabant, debere obedientiam tanquam parenti. Unde hodieque in civilibus honoribus & negotiis feudalibus hæc ceremonia observatur. Ratio religiosa est gemina; una refertur ad circumcisionem, ac si dicat qui jurat, tam firmum fore id pactum, quàm circumcisionis, quæ in illâ parte fiebat; vel ad Christum futurum ex femore Abrahami, ita ut per Christum eo etiam tempore tacitè jurarent. Hinc itaque apparet juramentum esse partem religionis: ideoque discrimen veteris & Novi Testamenti. Hic frustra objicitur ab Anabaptistis, itemque à Papistis, irreligiosè defendi promiscuam dispensationem juramenti. Porro interest plurimum, inter juramentum, quod fit sine conditione, & quod fit cum conditione & cautione. Ita hoc loco est juramentum conditionale. Ubi & hoc notandum est, quòd etiam, cum conditio non exprimitur, tamen hæc conditio intelligitur semper addita, ut juramentum sit pium & licitum.

3. Etsi Isaac natus & educatus erat in terrâ Canaan: tamen Abraham eum vetat reduci in Mesopotamiam, ubi nunquam fuerat in propriâ personâ, sed in personâ, seu lumbis parentis sui Abraham, qui inde erat egressus.

4. Etsi conjugia sunt fatalia: tamen communiter & ordinariè non pendent à providentiâ Dei immediatâ, sed mediatâ. Itaque discamus ex hâc historiâ, sic niti providentiâ Dei, tanquam paranympho Optimi Maximi, ut interim media ordinaria & ordinata simul adhibeamus, putà preces, consilium, & consensum parentum, parentum dico, qui tales sunt naturali & civili ratione. Certa enim est regula sanctorum: *Conjugia sunt sancta, etsi non semper sunt felicia*: quia videlicet Deus interdum castigat sanctos occulto judicio.

5. Servus Abrahami petendo specialem eventum à
Deo,

Deo, sub certo signo, non tentavit Deum, neque peccavit præscribendo; quia hæc ipsius precatio fuit extraordinaria, quippe profecta ex singulari Dei instinctu, ut successus docuit. Hic itaque teneatur signorum, quæ ab hominibus petuntur divinitus, alia temerè peti, alia certo iudicio. Quæ iudicio certo postulantur, ea aut aperto Dei mandato, aut occulto instinctu postulantur. Utrumque autem est à spiritu Dei: ut videre est in historiâ Gideonis, Jephthæ, & hujus servi, qui fide recumbat in promissiones Dei, quas tum ipse fide perceperat, tum Abraham, author itineris, pronuntiaverat. Deinde signa mira, miraculosa, & superstitiosa hoc loco accuratè sunt discernenda.

6. Ornamenta, quæ adhibentur in conjugii stipulatione & sponsione, probantur Deo, si adhibeantur non ad ostentationem, sed pro more regionis, & simul sint amoris signacula, aut etiam domesticæ opulentiaë inditia humiliter usurpata.

C A P U T X X V .

i. **A**braham non peccavit transeundo ad nuptias secundas, sive ad vota secunda, quo enim jure nituntur primæ nuptiæ, eodem & secundæ. *Rom. 7. 1. Corinth. 7.* Itaque Tertullianus & Hieronymus nuptias secundas malè damnant; & Papistæ errant, quando illis benedicere nolunt. Prætexunt illi quidem benedictionem primam. Sed est elenchus à separatis.

2. Abraham 38 annis ante Saræ mortem fuit emortuo corpore. *Rom. 4. v. 19.* Et eâ demùm mortuâ duxit uxorem, quia nempe senectus ipsius à Deo effecta fuit viridis.

3. Abraham triplici jure, videlicet religioso seu ceremoniali, civili, & privato Isaacum scribit & instituit hæredem ex asse, reliquos verò suos filios facit donatarios. Jus religiosum est, quòd Isaac divinitus erat dictus hæres ratione hæreditatis terrestris juxta & cœlestis. Juris

E

civilis fuit, quòd Abraham bona sua plurimùm comparaverat contante conjugio cum Sarâ. Juris denique privati, seu conventionis, fuit, quòd ita nominatim cavit Abraham, quando Keturam ducebat. Unde Ketura insignitur nomine concubinæ: quia tametsi justa erat uxor ratione consortii, non tamen erat ratione communionis bonorum. Itaque concubina hoc loco dicitur, quæ ducta fuit sine ceremoniis, & cujus liberi non accipiebant hæreditatem, sed munera.

4. Abraham mortuus est anno ætatis 175. Erat enim annorum 75, cum ex Haran proficisceretur. 100. ergo annis in terrâ Canaan oberravit contentus nudâ Dei promissione. Quod quidem est mirum patientiæ incomparabilis exemplum. Nos itaque molles sumus, ut vix unius vel pauculorum annorum inquietudinem ferre queamus.

5. *Abraham aggregatus est ad populos suos, & similiter Ismaël*, hoc est, uterque ad societatem sui similem sunt collecti. Quare hæc phrasi non significatur sepultura (illius enim paulò post fit mentio) sed partim status animæ post hanc vitam, partim disparitas illius status: Quia & pii & impii aggregantur ad populos suos, confer *Act. 1. v. 28.*

6. Rebecca uterum ferens consuluit Deum de conflictu gemellorum insolito. Consuluit inquam vel per preces adeundo ad altare, vel per Semum, qui tum temporis adhuc erat in vivis.

7. Esau primogenituram suam non sine peccato vendidit pro pulmento: quia primogenitura erat principatus familiæ, & simul sacerdotium, & insuper duas bonorum partes complectebatur, & denique erat typus primogenituræ Christi. Quæ omnia Esavus fuit aspernatus. Sed Jacob sine peccato jus illud redemit: quia videlicet petulantiam fratris habuit perspectam.

8. Oraculum Dei de gemellis in utero Rebeckæ, *Gen. 23. Mal. 1. & Rom. 9.* de Esayi reprobatione, & Jacobi electione æternâ interpretantur divino mysterio
hunc

hunc in modum. Prædestinatio est actio Dei æterna, quâ ex peccatoribus hominibus solâ misericordiâ alios eligit ad gratiam & gloriam, & solâ liberrimâ potestate alios non eligit, sed præterit, & præteritos damnat propter peccata ipsorum. Utrobique autem Deus ordinat bonos & malos causaliter, sed bonos etiam ordinat formaliter, malos verò permissivè. Hæc autem nostra assertio fundamentum habet in auctoritate divinâ, ratione & exemplis: quæ quidem tria in S. literis occurrunt vel literaliter, ut *Exod. 33. v. 9. Rom. 8. & Ephes. 1. &c.* vel allegoricè & anagogicè, ut hoc in loco. Deus in veteri Testamento eligit posteritatem Jacob. *Deut. 7. v. 6. 7. 8. & c. 10. v. 14.* Et dedit ipsis terram Canaan, symbolum hujus dilectionis & electionis. Hæc autem electio & adoptio est communis sive integri populi. Ab hâc communi electione & adoptione Malachias & Paulus argumentantur ad adoptionem & electionem particularem: quia utriusque idem est principium & symbolum. Principium discretionis utrobique est amor Dei. Symbolum etiam utrobique est idem: videlicet partim terra Canaan, partim servitus Esavi & venditio primogenituræ. Nimirum Edomæi fuerunt abscissi à corpore ecclesiæ, fœdus autem gratiæ in familiâ Jacobi fuit depositum. Si causa discriminis quæritur; non reperietur in naturâ; nam eadem est utriusque populi origo; non reperietur in meritis; quia adhuc ambo capita in utero matris inclusa erant, cùm exortum erat dissidium, & poterat Deus priorem Jacobum educere ex utero. Atqui primogenitum constituit alterum, qui inferior tandem futurus erat. Cur ita positum à se ordinem consultò invertit, nisi ut sciamus posthabito dignitatis respectu, gratuitò electum esse Jacobum, qui promissæ benedictionis hæres futurus erat? Summa ergo est, quòd Deus prætulit Jacobum Esavo, ut pater esset ecclesiæ, hoc non fuisse naturæ aut meritis redditum, aut industriâ quæsitum, sed profectum ex purâ putâ ipsius gratiâ. Quare Malachias & Paulus argu-

mentantur à communi electione ad specialem, tanquam à pari ad par hoc pacto: Sicut electio communis est inconditionata, sic quoque electio specialis.

9. Sicut Esau & Jacob in utero materno fuerunt discordes, ita in gremio ecclesiæ filii Dei & hypocritæ sunt inclusi, & hi inani titulo superbientes, insolenter se jactant adversus illos: Unde subinde exurgunt intestini conflictus, qui matrem ipsam duriter torquent.

10. Isaac divini oraculi non ignarus propensior est in Esavum, Rebecca contra propensior in Jacobum. Nimirum amor patris est incompositus & cæcus, qui tamen gratiam divinæ adoptionis egregiè illustrat. Prodit itaque hic sese naturæ humanæ infirmitas in Isaaco; & major quoque virtus nitet in fœminâ, quàm in viro.

11. Quòd Jacob infra *cap. 33.* se incurvat septies coram Esavo, non pugnat cum oraculo, Major serviet minori: Quia modesta Jacobi cessio & honor civilis, quem fratri tribuit, non imminuit vim promissionis, quæ non in personâ Jacobi, sed posterorum impleta fuit.

C A P U T X X V I.

1. **D**Eus in hoc capite bis dicitur visus esse Isaaco, & alibi sæpè dicitur visus esse à facie ad faciem: Quod ita est accipiendum. Facies Dei in scripturis sumitur quatuor modis. 1. significat essentiam & naturam Dei, quæ scholasticis dicitur facies Dei intentissima. Et hanc nulla prorsus creatura videre potest. 2. formam patefactionis externam & familiarem colloctionem, & hanc viderunt patriarchæ. 3. cognitionem Dei ex evangelio. 2. *Cor. 3. v. 18.* 4. gloriam & claritatem Dei ineffabilem in vitâ æternâ. 2. *Cor. 13.* Et hi tres posteriores modi scholasticis appellantur facies Dei remissa & intenta.

2. Sementis afflictionum ex tribus fontibus oriri solet, à Deo, à nobis, ab aliis. Quibus singulis afflictionibus suæ liberationes divinitus allatæ, narrantur hoc capite.

capite.

capite. Afflictio divinitus allata & ablata, est fames. Afflictio ab ipso Isaaco allata, sed à Deo ablata, est mendacium Isaaci. Afflictio à philistæis allata, sed divinitus ablata, est invidentia incolarum, fontium, obduratorio, & denique contentio.

3. Deus bis dicit se benedicturum Isaaco, & in ipsius semine gentes benedictas se reputaturas, quòd Abraham obediverit voci ipsius. Quibus verbis significatur vera causa, videlicet gratiosum Dei fœdus cum Abrahamo initum, & perceptum fide, atque obedientiâ fidei comprobatum.

C A P U T X X V I I .

1. **F**Actum Rebecca & Jacobi dolo circumventionium Isaacum variè solet excusari; quòd videlicet hæc omnia sint allegorumena sive typica; quòd uterque certus fuerit de consilio Dei ex revelatione; quòd verba Jacobi sint tropica, hoc modò: Ego sum Esau primogenitus, non personâ, sed dignitate; denique quòd multæ simulationes & deceptiones sint laudabiles, ut stratagemata. Verùm enimverò quatuor hi loci excusationum sunt nihili. Nam typus purus est à vitio, etiam quando infirmitas humana accedit ad typum. 2. Intentio, sive finis, utriusq; ad complementum divinæ revelationis pertinebat, sed modus, qui positus est in fraude & mendacio, nihil ad revelationem divinam pertinet. 3. Responso Jacobi debebat convenire cum interrogatione patris. Denique stratagma aliud est simplex, aliud mixtum. Simplex aut est bonum aut malum. Mixtum est ubi bono conjunctum est malum, ut hoc in loco. Nam Rebecca ex fide fecit, quod voluit transferre benedictionem patriarchalem in Jacobum; & similiter Jacob ex fide fecit, quòd laboravit consequi benedictionem istâ. Sed fides utriusq; impegit in viâ. Quòd autem nihilominus rata fuit benedictio, imò quòd per muliebrem fallaciam Deus exequitur consilium suum,

hoc modo gratuitæ suæ bonitati totam benedictionis laudem vendicat. Præterea Deus peccatum Isaaci, quo conatus est aliquid contrarium moliri oraculo, castigavit peccato Rebeccæ & Jacobi.

2. Isaac de Jacobo ita pronuntiat: *odor filii mei, sicut odor agri, cui benedixit Jehova.* Allegoria horum verborum sic est: Filius promissionis in Christo est *Abundia* seu bona fragrantia, cujus auctor est benedictio Dei.

2. Deinde Jacob indutus vestem sacerdotalem, partim fratris primogeniti, partim ex pellibus confectam gratum, suavemque patri spirat odorem. Ad eundem modum nos benedici Ambrosius docet, ubi sub Christi nomine in conspectum patris prodimus, vestem justitiæ, quæ nobis odore suo saporem conciliet, ab eo sumimus. Denique in ejus locum substituimur.

3. In benedictione Jacobi nil nisi terrenum primâ fronte videtur occurrere. Sed tenenda est regula: *Gratia terrena patribus promissa, & data in terrâ Canaan, erant speculum & pignus cœlestis hereditatis.*

4. Benedictio Esavi nō est spiritualis, sed corporalis, videl. promissio de terrâ pingui. Neq; cum hâc benedictione pugnat, quod *Malachias 1. cap.* dicit, Idumæam esse sterile. Propheta enim loquitur comparative, quoniam Idumæa præ terrâ Canaan ferè desertum quoddam fuit: vel certè propheta loquitur de suâ ætate.

5. Esau lacrymis suis non invenit pœnitentiam, *Heb. 12.* hoc est, non potuit efficere lacrimis suis, ut parentem Isaacum pœniteret benedictionis Jacobo collatæ. 2. pœnitentia Esavi non fuit vera sed hypocritica. Neque enim agnovit peccatum, sed doluit tantum de damno: Neque agnovit promissionem de femine benedicto: neque fecit fructus pœnitentiâ dignos. Ergo cum fide & resipiscentiâ vacuus ad petendam benedictionem temporalem prorumpat, nihil mirum si rejicitur. Erumpunt hâc eâdem ratione hypocritæ in lacrymas, sed cor intus quasi ferreis vectibus obstructum manet, ubi teneatur illa veterum sententia: *Lacrymas angu-*

angu-

angustia exprimit crux; lacrymas pœnitentiæ peccatum; Lacrymas sympathiæ affectus humanitatis vel Christianitatis; lacrymas lætitiæ excellentia gaudii, deniq; lacrymas nequitia, vel hypocrisis, vel vindictæ cupiditas.

6. Jacob supplantavit Esavum in utero & extra uterum. Eâdem ratione Christiani debent supplantare Diabolum, peccatum, mundum, & mortem.

7. Declinare pericula, fugere pestem & persecutiones &c. citra officii desertionem, licitum est, exemplo Jacobi.

C A P U T X X V I I I .

I. **S**cala Jacobi variè exponitur. Et primò quidem sunt, qui scalam istam putant significare providentiam Dei generalem. Deus enim stat in scalæ culmine, indeque omnia intuetur ac moderatur, ceu primum providentiæ principium, & ultimus ejus finis: Gradus scalæ notant multiformem Dei sapientiam, quâ variè res singulas regit: latera scalæ significant justitiam & misericordiam, seu divinæ providentiæ fortitudinem & suavitatem: ascensus & descensus angelorum notat Dei administrationem fieri per angelos. Secundò Rabbini autumant connexionem magneticam superiorum & inferiorum hoc modo denotari: eâ enim copulatur hic mundus inferior cum superiori. Tertiò alii referunt ad providentiam Dei specialem, & typum ita explicant. Scala maxima imâ sui parte incumbens terræ, & summâ cœlum pertingens, significat totam rationem itineris à Jacobo suscepti: Angeli ascendentes & descendentes per scalam significant singularem Dei ductum & assistentiam ipsius Jacobum dirigentis in toto hoc itinere: Jehova stans ad scalam, significat providentiam immediatam, quâ Deus hoc iter dirigebat. Quartò quidam referunt in genere ad ecclesiam, maximè sub cruce. Nam scala significat fidelium peregrinationem per multos tribulationum gradus, & Dei singularem providentiam, quæ clavum tenet. Angeli sunt spiritus mi-

nistratorii, quibus utitur Deus ad ecclesiam regendam
 & regendam. Quintò alii per scalam ejusque gradus
 intelligunt salutem & ejus media. Nam series scalæ est
 in cœlo, significans æternam Dei prædestinationem:
 gradus sunt creatio, vocatio, justificatio, sanctificatio, &
 glorificatio: latera scalæ sunt justitia & misericordia.
 Sextò sunt qui dicunt, scalam hanc fuisse figuram gene-
 rationis Christi, secundum carnem, ut ab Evangelistis
 describitur, ut ascendendo apud Lucam, descendendo,
 ut apud Matth. gradus sunt variæ generationes: latera
 sunt Dei misericordia & veritas: summitas scalæ est tum
 deitas, tum status exaltationis Christi: pars infima sca-
 læ est tum humanitas, tum status exinanitionis Christi:
 Deus in ipso fastigio est causa unionis personalis: Deni-
 que angeli sunt spiritus, qui ministrant Christo & per
 Christum. Septimò, alii scalam hanc exponunt de me-
 ritis, officiis & gratiis pertendentibus ad cœlum. In hâc
 enim scalâ angeli ascendunt, referendo nostra ad Deum,
 & descendunt divina adferendo. Huic scalæ Deus præ-
 fidet bona & mala retribuendo. Octavò, alii scalam
 hanc referunt ad vitam & disciplinam Christianam,
 hoc modo: scala hærens in terris est Christianæ vitæ ra-
 tio; quia licet sancti corpore versentur in terris, conver-
 satio tamen illorum est in cœlis. Ascensus per gradus
 scalæ tam altæ est arduus: duo latera scalæ sunt fides &
 bona opera, vel verbum & sacramenta, vel duo ista phi-
 losophiæ moralis capita; *Sustine & abstine*: gradus sca-
 læ sunt variæ virtutum species inter incipientes, profi-
 cientes, & perfectos: angelorum ascensus & descensus
 notat vitam contemplativam & activam. Nonò, Bern-
 hardus ait, hanc scalam esse vitam religiosam, cujus in
 singulis ordinibus est præscripta regula: latera scalæ est
 asperitas vitæ: gradus varia exercitia spiritualia. Deci-
 mò, Basilii & alii decem gradus virtutum in hâc scalâ
 numerant, ita ut infimus gradus sit abnegatio sui &
 mundi, medius est charitas, summus est unio cum Deo.
 Undecimò, alii scalam hanc referunt ad unionem Chri-
 sti per-

sti per-

sti personalem, quâ effectum sit, ut humana natura impleat cœlum & terram. Duodecimò, alii infinitas rerum vicissitudines per hanc scalam Jacobo ob oculos fuisse positas autumant. Decimotertiò, alii denique exponunt de Christo Deo & homine, quæ expositio sola est probanda, idque ob has rationes: 1. Quia Christus *Johan. i. v. 52.* hunc mysticum scalæ sensum tradit. 2. quia nihil magis consentaneum fuit, quàm ut Deus in filio suo fœdus æternæ salutis sanciret servo suo Jacobo. 3. Verba Dei stantis in hâc scalâ, *v. 13. 14.* idem probant. 4. Quia typus scalæ hujus pingebat Jacobo felicem successum itineris religiosi, quod extra Christum non potuit prosperari. 5. Quia Christus est imago Patris, in quâ apparuit sanctis Patribus. 6. Quia solus Christus est scala cœli. Nam ipse solus cœlum & terram contingit duabus naturis suis, ipse solus cœlum & terram conjungit ut mediator, ipse solus nos unit Deo, in ipso solo Deus ad nos descendit, & nos ascendimus ad Deum; per ipsum solum ministerium angelorum, justitia, vita, & omnes gratiæ in nos descendunt, & per ipsum solum preces nostræ &c. ascendunt ad Deum.

2. Jacobus ait: *Nihil est hic locus, nisi domus Dei, & porta cœli.* Quam phrasin alii accipiunt de templis; alii de quibuslibet fidei adminiculis, putà de verbo, de sacramentis &c. alii de speciali Dei præsentia; alii de quibuslibet locis præstantioribus. Sed optima interpretatio est ista: Domus Dei est ecclesia, in quâ Deus habitat cum filiis suis per gratiam suam, & per ministerium sanctorum angelorum & hominum. Denique in quâ Deus habet focum & ignem suum, *Esaia 31. v. 9.* porriò porta cœli nihil aliud est quàm Christus verâ fide apprehensus. Quæ quidem expositio confirmatur ex antecedentibus & consequentibus, & nominatim ex *v. 22.*

3. Vota monastica & superstitiosa, item statuæ idolatricæ, voto & monumento, quod Jacob vovit & statuit, defendi minimè possunt. Nam lapis Jacobi non fuit idolum, sed visionis insigne & memoriale, imò & figura

Christi. Deinde votum Jacobi est adminiculum infirmitatis, dum se voto concepto comparat ad celebrandam Dei bonitatem. Itaque nihil aliud in animo habuit quam gratitudinem suam testari, & ad legitimum Dei cultum restringit, quicquid erat factum, & non superbe promittit, supra quam data est facultas, sed decimas suorum bonorum in sacram oblationem destinat.

4. Jacobus ungit lapidem oleo; quod erat signum consecrationis sacerdotalis. Nam cum in mundo nihil sit nisi profanum absque spiritu Dei, nulla etiam est pura religio, nisi quam cœlestis unctio sanctificat. Atque huc spectavit sollemnis consecrandi ritus, quem Deus in lege suâ præcepit, quò accedit ratio typi. Nam unctio Veteris Testamenti significavit unctioem Christi activam & passivam.

C A P U T X X I X.

1. **J**acob Rachelem osculo excepit non solum consuetudinis, sed etiam *so pyñs* causâ; quia propinqui propinquos olim osculabantur in oriente: ubi teneatur sex esse genera osculorum, impudicum *Proverb. 7.* explorationis, quo Romani utebantur, ut an fœminæ vinum bibissent, explorarent: proditorium, *Luc. 22.* sanctum, *Rom. 16.* osculum humanitatis & urbanitatis in amicis & hospitibus excipiendis, *Luc. 7.* deniq; osculum *so pyñs* naturalis inter parentes & conjuges, *Cant. 8.*

2. Septem anni, quos Jacob servivit pro Rachele, visi sunt dies paucissimi: quia tamen amanti omnis mora est longa, tamen labor integro septennio exantlatus nullus videbatur, collatus cum mercede. Ita molestia crucis dicitur momentanea, *2. Cor. 4.* quia fideles spe vitæ æternæ superant longissimam moram.

3. Etsi dolus Labanis Leam pro Rachele supponentis, non caruit multiplici peccato, tamen Jacob rectè fecit, quòd Leam non repudiavit, quia error personæ jam consummatum conjugium non dissolvit.

4. Etsi

4. Etsi sterilitas est maledictio: tamen steriles ideo non sunt maledictæ, quia magnum est discrimen inter maledictionem personæ & rei. Similiter fœcunditas est benedictio non personæ sed rei.

5. Jacob odio habuit Leam, non absolutè sed comparatè, hoc est, minùs amabat ipsam quàm Rachelem.

6. Jacob jubetur complere septimanam, non annorum, sed dierum, ut accipiat Rachelem. Intelligitur enim convivium septemdiale pro nuptiis cum Leâ institutum.

C A P U T X X X .

1. **M**Anichæi Jacobum, ut impurè libidinosum senem, habentem uxores & ancillas, tanquam scorta de concubitu certantia, damnant. Alii polygamiam ejus & reliquorum patriarcharum exculpant, freti duodecim argumentorum locis. 1. Dei jussu singulâri Patres usi sunt polygamiâ. 2. Bono id fine factum est, nempe desiderio sobolis, ut familias piorum & ecclesiam dilatarent. 3. Id factum est zelo seminis benedicti, ne mundi salus periclitaretur. 4. Sara, Lea, & Rachel maritis suis tradiderunt ancillas: quia habebant potestatem in corpus mariti. 5. Id factum est ex fide & cum invocatione nominis divini. 6. Deus polygamie benedixit, & filii ancillarum Jacobi æquo jure inter Patriarchas censebantur. 7. Polygamia non fuit vetita, nec in scripturâ reprehenditur. 8. Polygamia *Deut. 21. v. 15.* permittitur. 9. Factum illud non fuit contra naturam, quia sobolis causâ; nec contra bonos mores, quia publicæ consuetudinis. 10. Conjugium Abrahami cum ancillâ fuit mysterium, *Gal. 4.* Similiter conjugium Jacobi cum Leâ & Rahel. At mysterium non est peccatum. 11. Non est verisimile, pios istos viros fuisse scortatores & adulteros. 12. Deus liberis polygamorum benedixit. Resp. ad 1. Scriptura id tacet: Imò contrâ docet polygamiam repugnare juri naturali, quod sancitur *Gen. 2. Malach. 2. & Matth. 19.* Ad 2. Ad bonum finem debe-

mus contendere bonis mediis. Ad 3. Zelus ille fuit præposterus. Ad 4. Sanè habebant potestatem in corpus mariti, potestatem, dico, sobriè illo utendi, sed non aliis in concubitum illicitum tradendi. Ad 5. Cum fide illâ & invocatione conjuncta fuit multiplex infirmitas. Ad 6. Deus benedixit polygamis, non ut talibus, sed ut infirmis: & ideò quoque filios ancillarum æquiparavit reliquis. Ad 7. Lex fuit lata contra polygamiam. *Lev. 18, vers. 18.* Ad 8. Agitur ibi non de jure, sed de facto & indulgentiâ, quâ Judæi polygamiam civiliter permittebant. Ad 9. Polygamia est contra naturam integram, ejusque regulam, nec mores pravi excusantur consuetudine. Ad 10. Salvo mysterio in ipso conjugio potuit esse culpa. Ad 11. Etiam pii suos habent nævos. Ad 12. Deus filiis polygamorum benedixit, non quòd ex legitimo matrimonio essent nati, sed quia fecerat promissionem Abrahamo & semini ipsius.

2. Fons benedictionis divinæ, quâ dantur opes, promiscuè ad pios & impios exundat, ut illi quidem ad pietatem magis & magis excitentur, hi verò fiant inexcusabiles.

3. *Dudaim* alii vertunt in genere flores amabiles: alii violas: alii cerasa Judaica, quæ vocant: alii lilia: plerique mandragoras: quæ sententia placet. Hæc enim planta est maximè amabilis, tum ob gratum odorem. *Cant. 7, v. 4.* tum ob pulchritudinem floris, & formæ, quia radix ejus similat formam hominis, unde Pythagoræ dicitur *ἀνδρωπώμορος*, Columellæ semihomo, aliis androgonus. Tum denique ob peculiarem virtutem, quâ conciliat somnum, prodest matrici, ciet menses, inflammat ad amorem, & denique facit ad concipiendum. Huc accedit, quòd Rahel proculdubio naturâ & indole suâ amavit flores, & Ruben isto anni tempore primus invenit mandragoras; quomodo videmus hodieque quosdam homines duci amore insano quarundam rerum, & primum fructum cujusque anni valdè desiderari.

4. Industria Jacobi, quâ oves & capras, virgis variegatis

gatis

gatis in canalibus propositis concipere curavit, caruit fraude; sive ad consilium, sive ad ipsam substantiam respicias. Nam Deus fuit author consilii, ut patet ex *c. seq.* Et substantia facti non fuit, ut Jacobus rem alienam interciperet, aut rei alienæ commoda interverteret, eaque in rem suam verteret, sed ut tantum perciperet, quantum suâ benedictione Deus esset elargiturus, ubi tenenda regula: *Deus pro absoluto suo in res humanas jure, auferit eas quibus vult, sine injuriâ; & confert quibus vult, sine debito.* Deinde fuit contractus bonæ fidei inter Jacobum & Labanem. Pactum enim erat, ut Jacob pasceret album gregem, & quæ ex illo nascerentur alba vel nigra essent Labanis, varia Jacobi. Atque hæc est quæstio juris: sequitur quæstio facti, quomodo nempe hoc fieri potuerit? Resp. factum est vi naturæ, id est, phantasiæ, quæ movetur objectis, maximè cum natura incalcescit: & vi benedictionis divinæ. Nam ad naturam accessit singularis dispensatio providentiæ divinæ.

5. Duplex stratagema œconomicum adhibuit Jacob. Nam virgas variegatas posuit ante oculos gregis tempore admissuræ, & quidem autumnalis, ut ipse hæc ratione acciperet fœtus versicolores & fortiores, utpote tempore verno excludendos; sed tempore admissuræ vernæ virgas non admovebat, ut Laban acciperet fœtus albos vel nigros eosque sequiores, idque mense Septembri.

C A P. XXXI.

1. **V**itia parentum magis transeunt in liberos quàm virtutes: ut in avaris avari Labanis filiis videre est. Transeunt autem non generatione, sed institutione, conversatione, imitatione.

2. Jacob, furtim sese proripiens, fefellit Labanem divino consilio: quia fallaciam licet fallaciâ trudere; fallaciam dico moraliter malam, fallaciâ vel indifferente, vel moraliter bonâ.

3. Filiæ Labanis traducendo iniquam administrationem patris sui, non peccant, quatenus rei veritatem enuntiant; & enuntiant apud Jacobum conscius istius veritatis. Sed peccant, quatenus animo & affectu perturbatiore enuntiant veritatem.

4. Rahel abstulit *Teraphim* patris sui, h. e. imagines familiares, astrologicâ & magicâ idololatriâ sic formatas, ut illis inesset vis arcendi mala, & oracula reddendi. Has inquam imagines abstulit, vel quòd idololatriæ adhuc esset addicta, vel ut Labanem ab idololatriâ avocaret, vel quòd imagines istæ aureæ vel argenteæ essent, vel denique ne Labani illas inspectanti & consulenti innotesceret iter, per quod abiissent. Quocunque verò consilio abstulit idola ista *Teraphica*, non rectè fecit: tum quia modus iniquus est, tum quia idololatriæ his occasionibus inardescunt, & furentius ruunt in idololatriam. Itaque idola tollere per se peccatum non est: quia à Deo præceptum est in lege, peccari tamen potest in fine & modo. Quare rectè abolentur, cùm doctrina de vero Dei cultu præmittitur, & abolitio fit non privatorum tumultu, sed auctoritate publicâ, & quidem inter limites jurisdictionis, denique tempestivè.

5. Rahel peccatum ex peccato nescit, cùm furtum suum furtivis artibus & mendacio celat, & cum patre quasi contendit, quæ prima idolomachia ostendit gravissima semper in mundo certamina futura, etiam inter conjunctissimos, propter idola, quæ solent homines conjungere cum ceremoniis divinitus institutis: quomodo *Jud. 17. Micha miscet Ephod & Teraphim.*

6. Deus appellatur pavor seu *timor Isaaci* activè & passivè. Activè: quia Deus Isaacum expavescerat, ne retractaret benedictionem patriarchalem collatam in Jacobum. Passivè, quia Deus debet esse timor noster, qui nos contineat jugiter in officio.

7. Laban jurat per deos suos, Jacob per verum Deum: Utrumque juramentum est legitimum; quia utrobique spectatur religio, licet non utrobique sit vera.

C A P U T

C A P U T X X X I I .

1. **A**ngeli adsunt, præfunt, & profunt piis, vel singulis, vel multi simul, ut hoc loco, prout nempe Deus distribuit provincias. Unde Jacob hos angelos appellat castra Dei, non tantum ob robur & ordinem, sed etiam ob multitudinem.

2. Timor physicè communis est piis & impiis: piis prodest ut stimulus ad Deum invocandum: Impiis parit cordolium intolerabile: Utrosque impellit ad cautè agendum. Theologicè discernit servos peccati & filios Dei. Unde alius servilis, alius filialis.

3. Jacob fratrem Esavum appellat *Dominum suum*, se verò *servum illius*; non solum propter civilem potestatem, sed etiam propter jus naturæ, quia scil. Esau primas tenuit ex naturâ. Itaque primogenitura jure naturæ pertinebat ad Esavum; jure translationis ad Jacobum. Verum enim verò illa translatio fuit affecta in Jacobo per revelationem divinam: perfecta per impletionem in posteris. Itaque Jacob nihil sibi deminuit de jure primogenituræ, sed hæc suâ modestiâ, decus, gratiam, & benevolentiam sibi conciliavit apud Esavum, dominum istius loci. Ita David 1. *Sam.* 24 & 25. Saulem appellat dominum suum.

4. Lucta Jacobi cum angelo non fuit facta per visionem, neque fuit tantum spiritualis, neque etiam fuit cum angelo creato. Ratio primi & secundi est, quia Jacob non somnians, sed vigilans est colluctatus, & corporaliter quoque claudus factus est. Interim tamen certum est, quod cum luctâ externâ, conjuncta quoque fuerit interna. Ratio tertii est. Quia Jacob dicit se Deum vidisse à facie ad faciem, & appellatus est Israël, id est, princeps Dei. *Hos.* 12. v. 4. & locus ipse ubi hæc lucta accidit, appellatur Penuel, id est, visio Dei, confer *Gen.* 48. *vers.* 16.

5. Angelus ille fuit Christus, qui ludicris certaminibus ad verum se præparabat, & his præludiis incarna-

tionis & inanitionis suæ fidem patrum sustentabat. Quòd autem fuerit Christus, ita patet: Angelus ille fuit Deus, ut jam est probatum. Non autem fuit Pater, quia ille nullius potest esse angelus: neque est spiritus sanctus, quia ipsius officium non est *λεισεργικόν*, sed *ἀρχιτεκτονικόν*. Relinquitur ergo Christus, angelus ille fœderis. *Mal. 3.*

6. Victoria Jacobi non fuit simulata, sed vera. Etsi enim Christus poterat vel solo nutu Jacobum prosterne; tamen cum ipso egit secundum dispensationem, quâ viri imbecillioris speciem assumpsit, ut victoria Jacobo relinqueretur: quod femoris luxatio docuit, ex quâ claudicatio subsecuta, quâ admonebatur Jacob, ne superbiret, victoriam illam viribus suis attribuendo.

7. Allegoria hujus luctæ talis est: Admonentur omnes fideles, oportere eos esse ad continua certamina accinctos, & unâ superatâ tentatione plures & graviores imminere: iis luctam esse non tantum cum carne & mundo, sed etiam cum spiritibus, imò cum ipso Deo: Deum verò ita cum iis luctari, ut eos vincere sinat & faciat: victoriam tamen ipsorum non esse sine vulnere: Jacobi tamen exemplo victoriam esse persequendam, & instandum, licet sint vulnerati. Denique ipsos non debere Deum in luctâ spirituali dimittere, etsi femor laxet, donec benedixerit.

8. Filii Israëlis non comedunt acetabulum femoris, quæ ceremonia, per se indifferens, est bona institutione, si Dei beneficium commemoretur; sed abusu est mala, si in superstitionem abeat.

C A P U T XXXIII.

1. **D**EUS voluntates hominum determinat: *Prov. 21. vers. 1.* determinat inquam vel ad bonum, vel ad malum, semper tamen bene. Ad bonum determinat, immittendo bonum; ita ut voluntatem vel mutet ad bonum spirituale, ut Pauli, vel inclinet ad bonum morale
aut ci-

aut civile, ut Esavi hoc loco: vel cohibeat à læsione bonorum, ut Labanis. Ad malum determinat, permittendo malum, seu non dando gratiam rectè agendi, immitendo occasionem & dirigendo malitiam, ut videre est in *cap. seq.* & infra in fratribus Josephi.

2. Mutationem istam voluntatis Esavi Masorethæ indicare voluerunt, quando voci פָּאָרַץ, *osculatus est*, quatuor puncta imposuerunt.

3. *Jacob incurvavit se septies*, hoc est, sæpius, honoris causâ, quem ita exhibuit fratri civiliter, ut simul etiam adoraverit Deum spiritualiter, partim gratias agendo, partim rogando.

4. Jacob dicit, *se aspicere faciem Esavi, tanquam faciem Dei*, quoniam Esau sic mutatus non obscura erat imago gratiæ & benevolentia Dei, quam Deus præcedenti capite promiserat.

5. Jacob promittit se ad Esavum venturum in Seir, quod tamen non fecit, quia proculdubiò fuit admonitus à Deo, ne faceret; quomodo de Magis legimus *Matthæi 2.* nisi malis dicere, promissionem hanc fuisse gratuitam seu liberalem, ideoq; potuisse retractari, ex parte promittentis vel promissarii, vel rei promissæ, vel duorum ex istis, vel omnium simul.

6. Jacob venit Salem, hoc est, incolumis in urbem Sichem: etsi alii volunt non esse nomen appellativum, sed proprium, ita ut Sichem etiam fuerit dicta Salem.

7. Jacob emit portionem agri in quo tenderet sua tentoria: quâ ratione possessionem se habere & non habere profitebatur. Habere ex empto; non habere, eò quòd non ædificaret domum, sed tentorium poneret. Itaque non peccavit emendo portionem terræ, quæ ipsi divinitus per promissionem erat donata: quia noluit illegitimè terram ante tempus destinatum occupare.

8. Jacob erexit altare; partim ut memoriale promissionum Dei, & symbolum præsentia ejus: partim ut externum pietatis testimonium: partim denique, ut familiam suam discerneret ab incolis istius loci, & in officio

contineret. Nulla itaque hoc loco est ἑτεροθρησκεία.

9. Jacob altare suum vocavit, *Fortis Deus Israël*, non quòd lapidum congeries foret statua Dei; sed quia altare erat *μνημόσυον* & pignus omnium visionum & promissionum Dei. Quare sicut externis symbolis stolidè superstitiosuli Deum affigunt, & quasi ex cælo detrahunt: Ita rectè fideles à terrenis signis in cælum conscendunt.

10 Jacob emit à filiis Hemor patris Sichem portionem agri. At verò idem dicitur *Actor. 7. v. 16.* de Abrahamo. Quem nodum alii secant, alii solvunt. Et illi quidem dicunt, vel se ignorare solutionem, vel Stephanum memoriâ lapsum, vel vitio librarii vocem Abraham irrepsisse pro Jacob. Hi verò vel Abrahamum in Genitivo positum esse putant, ita ut suppleatur nepos: vel *Actor. 7.* fallaciam compositionis & divisionis vulgò committi arbitrantur, quòd hic sit sensus, qui translati sunt in Sichem & positi in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti, & in sepulchro *παρα τῶν υἱῶν Ἐμαρ* scil. empto. Quæ ultima sententia hætenus placet.

C A P U T X X X I V.

1. **S**ichem amorem ex malo principio natum laudabiliter corrigit, ambiendo conjugium Dinæ, & procurando consensum parentum ab utraq; parte. Id sanè juri naturæ consentit, ut in hoc casu potius valeat illud copulativum: *Et dotet, & ducat*; quàm istud alternativum, *Aut dotet, aut ducat.*

2. Hemor non rectè circumcisionem persuasit suis civibus, spe commodorum. Neque enim religionem oportet metiri quæstu aut voluptate. Similiter filii Jacob non rectè fecerunt, quòd specie religionis fefellerunt Sichemitas, & violarunt contractum bonæ fidei.

C A P U T

C A P U T X X X V.

1. **S**eptimam apparitionem habuit Jacob in Bethel; cuius duo sunt effecta, reformatio ecclesiæ domesticæ Jacobi, & ipsius defensio adversus hostes, quibus inerat terror Dei, hoc est, lupato providentiæ Dei terrentis constringebantur, ne persequerentur Jacobum, qui ob homicidium & latrocinium filiorum suorum apud Sichemitas editum, scætebat coram incolis terræ; ita nempe providentia Dei, cum maximè dormire videtur in periculis piorum, pro salute ipsorum maximè excubat, terrorem hostibus incutiens, vel ἀπὸ μεχανῆς evasionis viam suis aperiens.

2. Ecclesia domestica Jacobi constabat tritico & paleis. Erant enim permisti idololatræ piis Dei cultoribus. Rahel erat magistra idololatriæ Teraphicæ: filii erant administri idololatriæ Sichemiticæ: Jacob, vel uxoris blanditiis sopitus, vel carnis incuriâ abreptus, officium facere neglexerat. Interim bonitas Dei tanta est, ut domum Jacob idolis pollutam pro sacrario habeat; quia nempe Jacob retinebat fundamentum puræ religionis. Habemus itaque hîc pîcturam ecclesiæ in his terris peregrinantis.

3. Jacob idola non vertit in rem suam, tum quia erant res furtivæ: tum quia objecta movissent sensus domesticorum. Deinde non combussit illa, vel quia in istâ suâ peregrinatione non poterat vacare combustioni auri, utpote molestissimæ, vel quia ignorabat rationem comburendi aurum, vel quia metuebat, ne ustionis vestigia & reliquæ in solo remanerent. Itaque visum est potiùs sic humi defodere omnia, ut nemini hominum constaret, unde recipi ista idololatriæ monumenta possent.

4. In domo Jacob mutatæ sunt vestes, ut qui contaminati fuerant, quasi novi homines prodirent, & in hoc externo ritu discerent, quanta esset sceleris sui atrocitas. Etsi enim virtus interior est resipiscentia, & sedem in

corde habet: ceremonia tamen hæc minimè super vacua fuit, quia Dei gloriæ interest, ut reatum suum homines, non modò intus reputent, sed palàm etiam simul testentur, & externis q. stimulis pungantur.

5. Jacob hoc loco incipit esse binomius. Neque enim aboletur prius nomen, sed potius præfertur. Jacob enim ab utero vocatus fuerat, quòd fortis fuisset cum fratre luctator: Israël autem postea vocatus est, quod cum Deo antagonista & agonotheta congressus, victoriam obtinuit, non quòd propriâ virtute prævaluerit (nam & animum, & vires, & arma à solo Deo mutuatus est) sed quia gratuito isto honore Dominus ipsum ornare voluit.

6. Deus ascendit à Jacobo, quia deinceps ei amplius non apparuit, & quia finem habuit visio, per quam descenderat ad Jacobum.

7. Rahel mortua est in Bethlehem, unde sumta est pathetica illa plasis, *Matth. 2.* de Rachele plorante ob infanticidium Herodis.

8. Mnemosyna defunctis ponere licet, idque non tantùm amoris, honoris, & memoriæ causâ, sed etiam ut sint documenta spei de futurâ resurrectione: dummodo caveatur luxus & superstitio.

C A P U T XXXVI.

I. **G**enealogiæ impiorum traduntur in scripturis, ut Historiæ de originibus gentium constent, & promissionum divinarum sit illustrior impletio, & ut contraria juxta se posita clariùs elucescant, tum quantùm ad justitiam & misericordiam Dei, tum quantùm ad ingenium piorum & impiorum. Nominatim hoc loco Genealogia Esavi totum caput occupat, tum ut Judæi suam cognationem & jus illius cum Idumæis discant, tum ut prædictionis Isaaci luculentum complementum intelligant.

2. *Seir*

2. *Seir* est nomen regionis, deserti, montis, civitatis, & portæ.

3. *Esau* habitavit in *Seir* ante *Jacobi* adventum *Genes.* 32. inde venit primò in *Penuel* ad excipiendum fratrem; & postea in terram *Canaan*, ad sepeliendum parentem & adeundam hæreditatem pro ratâ, quibus peractis rediit in *Seir*, ubi jam habebat larem & focum.

4. Uxores *Esavi* fuerunt binomines. confer *Gen.* 26. Idem iudicium est de alterius uxoris parente, qui promiscuè vocatur *Chittejus* & *Chivæus*, quod illi populi permixti essent.

5. *Esau* imperium istius regionis obtinuit, partim jure sanguinis ex affinitate, partim pretio, partim vi sive armis, partim denique fraude: quibus modis possessiones à potentioribus acquiruntur.

6. *Jobab*, cujus hoc loco fit mentio, non est *Job*. Ille enim non fuit ex posteritate *Esavi*, sed nepos *Nachoris* ex filio *Hus*. Neque verò est, quod urgeantur nomina cognata *Job* & *Jobab*. Nam literæ *Hebraicæ* inmane quantum discrepant. Interim tamen *Eliphaz*, cujus hoc loco fit mentio, est unus è cognatis *Job*.

7. *Ana* invenit artem, quâ ex admissurâ asini & equæ vel asinæ & equi muli procreantur. Neque tamen hæc ratione mundus caruit aliquâ specie perfectâ; quia mulus & asinus non differunt, nisi gradu: alii tamen malunt dicere, quòd *Ana* invenerit aquas medicinales, putà venam acidularum vel thermarum, sed vox *Hebraica* est אַנָּה non אַנָּה.

8. In toto hoc capite memoriâ est tenendum, subito excellere reprobos, ut statim concidant, sicut herba tectorum præcocem habet vigorem, sed citius arefcit. Duobus filiis *Isaaci* promissa erat hæc dignitas, quòd oriundi essent ab iis reges. Priores incipiunt regnare *Edu-mæi*. Ita videtur deterior *Israëlis* conditio. Sed tandem successus docuit, quid intersit inter momentaneam & stabilem felicitatem.

C A P U T X X X V I I.

1. **I**ndicationes œconomicae, scholasticae, politicae, & ecclesiasticae non sunt proditoriae, quando fiunt apud custodes disciplinae, non nocendi sed corrigendi studio. Ita Joseph non fuit delator, sed promotor disciplinae domesticæ. Est enim officium ingenuorum liberorum & pars honoris, quem debent parentibus, juvare disciplinam domesticam, nec dissimulare apud parentes peccata familiæ.

2. In historiâ Josephi quatuor ista debent esse instar cynosuræ. 1. habemus pulchrum divinæ providentiæ exemplum, quæ per varios anfractus obliquè peregit quod statuerat: quomodo videmus in horologio automatico diversos motus fieri à rotâ maximâ. 2. Deus ecclesiæ suæ salutem non ex magnifico splendore producit, sed à morte & sepulchro. Videmus enim Josephum in carcerem, tanquam in alterum sepulchrum mitti. 3. Deus peculiari honore puerum, qui inter duodecim penultimus erat, merâ gratiâ dignatur, primatum illi deferens inter fratres. 4. In personâ Josephi exprimitur viva effigies Christi, quantum ad statum exinanitionis & exaltationis.

3. Jacob noluit admittere consolationem, non quòd à tolerantia virtute exciderit, sed quia humana filiorum & filiarum suarum solatia respuit, atque ita illorum invidiam & malignum animum erga Josephum & ἐπιχειρησίαν perstringit.

4. Luctuosa vox Jacobi de descensu suo in scheól est periphrasis & votum mortis ac sepulturæ. Id enim significare vult; moriar, nam mortuo filio vivere non possum, ut sunt verba Johannis Marianæ. Nimirum vox scheól significat vel sepulchrum, *Psal.* 6. vel tentationes, *1. Sam.* 2. vel locum damnatorum, *Hos.* 13. Itaque pro exigentiâ subjectæ materiæ oportet hanc vocem accipere.

5. Potiphar non fuit Eunuchus conditione, sed officio: ne-

cio: ne-

cio: neque fuit Archimagyrus, ut 70 interpretes vertent, sed magister sive præfectus militum. Milites enim, laniones, & coqui eâdem voce insigniuntur: quia ut lani pecudes, ita milites solent mactare homines.

C A P. XXXVIII.

1. **P**erpetuus afflictionum cursus, quibus ecclesia exercetur in historiâ Jacobi, tanquam in speculo quodam elucet. Jacob enim in Mesopotamiâ probatur fallaciâ & avaritiâ Labanis; in reditu Cananæam versus metuit sibi à fratre. Denique reversus in Cananæam exercetur stupro filiæ Dinæ, maleficio Simeonis & Levi, obitu Rachelis, incesto Rubenis concubitu, Josephi venditione, & Judæ nuptiis cum Cananæis initis contra mandatum Dei & patriam auctoritatem, imò ipsius Judæ incestâ consuetudine cum Thamar. Ubi tenendum est enuptionem extra populum Dei speciali jure fuisse prohibitam: quia, qui enubebant, à scædere divino judicabantur discedere.

2. Obscœna genealogia Judæ hoc loco est tradita à spiritu Sancto, ut 1. rerunderetur supercilium Judæorum, ne vel de suo genere gloriarentur, vel sibi arrogarent, quasi ob peculiarem dignitatem essent electi, ex quibus nasceretur mundi salus. 2. ut meminerimus Ecclesiam in his terris non esse quærendam, quæ careat labe. 3. ut hîc quoque contemplemur & contemplando miremur exinanitionem Christi, qui non tantum ex sanctis, sed etiam impuris majoribus nasci voluit, idque tribus de causis, ut nempe ostenderet, se nihil gloriæ vel gratiæ mutuari à suis majoribus; suæque carnis puritatem, non à majorum sanctimoniâ, sed ab eminentissimâ operatione spiritus Sancti pendere. Denique suâ puritate omnes maculas nostras elui, non secus atque sol, quicquid est fœtoris in aère vel terrâ, absorbet.

3. Lex illa de jure levirationis, hoc est, de uxore fratris defuncti posteriori fratri elocanda, jam inde ab ini-

tio apud populum Dei obtinebat, divinâ revelatione: sed *Deut. 25.* fuit scripto sancita. Quapropter lex illa *Deut.* non recens institutio; sed antiquæ observationis confirmatio & obfignatio est. Nititur autē illa lex ratione ceremoniali & civili. Nam ad primogenitos duæ prærogativæ antiquitus pertinebant, una sacerdotii, altera splendoris familiæ: ita nempe ut primogeniti & sacerdotes essent in familiâ universâ & hæredes duplicarii. Ita verò præfigurabatur primogenitura Christi nunquam intermoritura. Porro hæc lex etiam obtinuit in Græciâ, ubi filia ἐπίκληρῳ non poterat enubere extra familiam.

4. Thamar habitu meretricio se supponens socero suo, id fecit partim vindictæ, partim prolis causâ. Neque tamen ideò excusatur, quia hæc vindicta fuit privata, & non ex incestu, sed ex legitimo conjugio, proles erat quærenda.

5. Verba illa Judæ de vivicomburio Thamaræ, non sunt judicis, sed accusatoris. Est enim juris naturalis, ut judex, actor, & reus distinguantur. Item ut in necessitudinibus & propinquitatibus ejusmodi judicia aliis permittantur. Porro ratio istius legis fuit furtiva seminis permixtio, quâ jus primogenituræ, adeoque substantia hæreditatis ad supposititios transferebatur.

6. Juda dicit, *Thamaram se justiore esse*, non simpliciter, quia Thamar sciens, volens, commisit incestum, sed secundum quid, quia Juda prior causam dederat huic maleficio.

7. Juda commisit incestum ignorans, sed non per ignorantiam, verum per æstum libidinis, & verò ipsius ignorantia fuit juris universalis, itemque pravæ dispositionis, itaque nullam prorsus meretur excusationem.

C A P U T X X X I X.

I. **D**Eus fuit cum Josepho præsentia specialis gratiæ, tum corporalis tum spiritualis. Et propter illam gratiam Dei paulatim ab infimo gradu ad summum est evehctus.

euectus. Nam qui primò erat vile mancipium, vocatur inde ad ministerium domesticum, & procedente benedictione Dei ad ministerium heri sui: tum à ministerio corporis ejus ad præfecturam domus. Postremò à præfecturâ domus ad universalem œconomiam, cui Deus & domi & rure benedixit.

2. Ad gratiam prudentiæ accessit in Josepho gratia formæ, quâ ille rectè usus est, heri verò abusa, ubi elegantissimè Ambrosius ait: *Joseph tentatus non decidit, & appetitus non appetivit.*

3. Deus servitutem Josephi non revelavit Jacobo, neque etiam Joseph statum adversitatis & prosperitatis suæ parenti nuntiavit: quia dispensatio divina non debuit impediri. Dispensationis autem divinæ intentio declaratur ab eventu.

C A P U T X L.

I. **Q**uatuor sunt gradus, quibus providentia Dei notitiam Josephi provexit. Innotuit enim ille primò in domo Potipharis; deinde in carcere; tum Regi, regno Ægypti finitimisque gentibus; postremò fratribus suis, adeoque etiam patri.

2. Joseph vinctus corpore, præditus fuit spiritu libertatis, quo res obscuras solveret & explicaret, quia verbum Dei non est vinctum, ut loquitur Paulus.

3. Tres palmites, & tria canistra dicuntur esse tres dies: Et sequenti capite septem vaccæ, septemque spicæ dicuntur esse septem anni: videlicet metonymiâ signi & signati. Quæ quidem exempla nostrates allegant ad illustrandam metonymiam sacramentalem, ut refutent eos qui mordicus negant signatum de signo in scripturis prædicari mediante particulâ *Est*, & quidem in casu recto.

4. Joseph dicit ad principem pocillatorem, *Pharao tollet caput tuum, & restituet te in locum tuum*: Ad principem pistorem ait: *Pharao tollet caput tuum & suspen-*

det te, quæ locutio lucem accipit ex *vers. 20*. Ubi Pharaos dicitur recensuisse caput principis pocillatoris & pistoris inter servos suos. Nimirum Pharaos inspexit Album, in quo scripti erant omnes officarii aulici, & caput, id est, clavum sive paxillum affixum nomini principis pocillatoris exemit e loco suo, sed postea restituit: Paxillum verò & nomen principis pistoris exemit e loco suo, & non restituit.

C A P U T X L I.

1. Joseph dicit, somnium Pharaonis esse unum, videlicet significatione.

2. Vox *Abrech*, *v. 43*. est interpretanda ex *v. 40*. Ubi Pharaos dicit Josepho, *Ad os te osculabitur universus populus*, hoc est, ad mandatum tuum osculabitur manum, habendo videlicet tibi summum honorem. Itaque *Abrech* est idem quod *BENEDIC* seu *benedicere*: Item est idem quod *flecte genua* seu *flectere genua*; ita nempe ut sit imperativus vel infinitivus Hiphil Chaldaicus. *Abrech* ergo idem ferè fuit Ægyptiis, quod Latinis olim erat *plaudite* in actibus publicis, & hodie est, *Vivat rex* seu *princeps*. Alii vertunt *parem patriæ*. Verùm hic titulus erat Pharaonis, quem ille sibi soli reservabat.

3. Pharaos mutavit nomen Josephi, & vocavit eum **זֹפְנָת פַּהֲנֵאֵךְ** *zophnath pahaneach*, h. e. occultorum revelatorem, ut est apud Philonem.

4. Joseph non peccavit acceptando honores à rege & regno sibi oblatos, & quidem certatim. Eodem enim spiritu, quo futura prædixit, & occulta revelavit, in hac causâ dirigebatur, ut & consilio Dei non reluctaretur, & modestiam non abjiceret, sed proportionem Geometricam servaret. Eodem quoq; spiritu auctore duxit uxorem Ægyptiam. Atque hac ratione fit, ut quæ universa liter sancta dici non possunt, propter extraordinariam & specialem sanctificationem sancta habeantur.

5. Socer Josephi fuit **קֹהֵן** *Cohen*, id est, primarius minister

nister regis, sive fuerit princeps sacerdotum, sive præses justitiæ. Appellatus autem fuit Pontifex Maximus hoc nomine, propter primatum ordinis, & specialis dignitatis typicæ.

6. Joseph dicit, quòd Deus ipsum fecerit obliviscî domus paternæ, non deponendo φιλοσοφίαν, sed non repetendo patriam.

7. Famis Ægyptiacæ, itemque vicinarum regionum, alia est ordinaria causa, videlicet peccata hominum: alia extraordinaria, putà exaltatio Josephi & familiæ Jacobi in Ægyptum divinitus præordinata translatio.

C A P I T U L U M X L I I .

1. Simulata austeritas, vel potius dissimulata benignitas Josephi erga fratres hoc capite & sequentibus, nobis in memoriam revocat ista axiomata. 1. Simulatio & dissimulatio (excepto uno religionis negotio) est res media seu indifferens, quæ proinde fit bona vel mala ex modo & fine. 2. Dissimulatur aut verum aut falsum. 3. Tolerabilius est, quando verum dissimulatur, quàm quando falsum simulatur. 4. in utroque observandum est, an seriò agatur, vel non seriò; & si non seriò, utrum joco, an aliâ specie. 5. Si seriò adhibetur dissimulatio, videndum est, an dissimuletur verum, aut falsum simulatur in præjudicium vel fraudem veritatis ipsius aut personarum. Nam si alterutrum fit sine damno veritatis aut personæ, non potest ea dissimulatio aut simulatio damnari. Sic enim Deus multa consilia sua dissimulat hominibus, ipsorum bono. Et parentes atque præceptores multa dissimulant liberis & discipulis, quæ opus est dissimulari bono eorum, quibus cum agitur. Atque hæc simulatio & dissimulatio est juris & libertatis, quâ Deus, parentes, & alii utuntur pro suo jure. 6. Sæpenumero accidit ut res liberæ sint positæ extra nostram libertatem; & tum videndum est, in causis veri & falsi, ne quid in fraudem veritatis & charitatis fiat: In

causis verò justis & injustis, ne quid in fraudem justitiæ aut vocationis nostræ fiat, sermone, opere, aut specie. Sic angeli *Gen.* 19. honestè & civiliter simulant & dissimulant se pernoctaturos in plateâ. Elias *1. Reg.* 18. civiliter subsannat, & quidem multis, sacerdotes Baaliticos. Et Micha *1. Reg.* 22. respondet Achabo planè ironicè: Christus *Job.* 7. mirabiliter simulat se non iturum ad festum: Paulus *Actor.* 21. Nazireatum, & *cap.* 23. Pharisæismum simulat prudenter. Quæ omnia facta sunt citra fraudem veritatis, charitatis, justitiæ, & vocationis.

7. Videre oportet, apud quos adhibeamus simulationem & dissimulationem, num apud ignorantes vel scientes; infirmos vel firmos; amicos vel inimicos; simplices vel malitiosos; denique desperatos, vel eos de quorum salute spes est. 8. Simulatio Josephi erga fratres fuit partim officiosa, partim jocosa, partim judicialis, partim denique typica. Simulavit enim & dissimulavit, ut statum patris ac fratris cognosceret, & ut fratres ad cognitionem peccati adduceret, & ut somnii sui veritatem iisdem confirmaret, denique ut nos hinc discamus, quomodo Deus agat cum suis filiis.

2. Verba ista Josephi: *Vivit Pharaos, si egrediemini hinc &c.* non sunt forma juramenti, sed asseverationis seriæ & obtestationis domesticæ, q. dicat: quàm verè vivit Pharaos, non exhibitis hinc, nisi cùm advenerit frater vester minimus, & hoc quidem seriò dixit, quia Simeonem retinuit obsidem.

3. Joseph fratres suos vocat *exploratores*, quos sciebat non esse: quia loquitur non ex suo sensu, sed ex suspitione Ægyptiorum, apud quos Cananæi erant abominationi, non tantum ob vitam pastoritiam, sed etiam, quòd sacrificarent & comederent boves aliâque animalia, quæ apud Ægyptios pro diis erant.

4. Morsus conscientiæ aliter in piis, aliter in impiis operatur, illi enim perducuntur ad peccatorum recollectionem, dolorem & resipiscentiam: hi ad fremitum & desperationem.

CAPUT

C A P U T X L I I I .

1. **E**st quidem generalis ordinatio Dei, ut bonis bene & malis malè sit: sed Deus invertit hunc ordinem, non universaliter, sed particulariter. e.g. pius Jacob fame premitur. Ratio hujus inversionis est, ut impii fiant inexcusabiles, & bonitatem Dei in hâc vitâ sentiant, quam non possunt sentire post hanc vitam. Hi verò hâc ratione affliguntur, ut vel fides ipsorum probetur, vel de peccatis in carne reliquis admoneantur, vel desiderium vitæ æternæ in eis excitetur.

2. Fratres Josephi dicuntur fuisse *inebriati*, hoc est, liberali & lauto convivio excepti. Nam familiaria convivia non vino, sed aquâ primitus instruebantur: festivis autem & lautis vinum accedebat. Propterea convivia lauta descriptione ebrietatis Hebræis designantur. *Hag. I. Joh. 2.*

C A P U T X L I V .

1. **S**imulatio Josephi erga decem fratres hoc fine fuit instituta, ut illos, quos plus quàm crudeles & perfidos expertus erat, perduceret ad pœnitentiam. At verò simulatio erga Benjaminum fuit ab ipso instituta ut exploraret fidem decem fratrum, ut si illos comperisset perfidos, relicto Benjamin turpiter à se ejiceret.

2. Joseph solebat bibere ex scypho argenteo, non autem ex aureo; quòd reges olim uterentur vasis aureis. Itaque Joseph in summâ suâ opulentiâ fuit studiosus temperantiæ, quâ noluit confundere symbola dignitatum, dissimilis illorum, qui affectant vestimenta & ornamenta superiorum, summaque imis miscent.

3. Divinatio est divina, diabolica, artificialis, aut popularis: Joseph à Deo fuit electus, ut occuparet se in primo genere. Itaque quando dicit, se *augurando augurari in poculo suo*, id non est ita intelligendum, quòd poculo

usus fuerit ad divinationem. Nam si jactasset se magum pro Dei prophetâ, impiè profanasset donum Dei. Itaque hoc dixit vel per simulationem, vel ita intellexit, quòd hoc poculo usus fuerit ad exploranda ingenia eorum, quos in familiaritatem intimam admittebat, si fortè illud poculum (illecti non tam pretio, quàm manupretio) auferrent. Quam artem hodieque magni viri solent factitare, dum familiaribus suis objiciunt annulos & alias res pretiosas, ut ipsorum fidelitatem explorent.

C A P U T X L V.

Στοργή sive φιλοστοργία est naturale quoddam incendium, in intimo cordium sinu flagrans, quod qui extinguere conantur, næ illi digni sunt, quos incendium Æthnæ vel Heclæ absorbeat. Ita hoc loco στοργή facit, ut violento affectu se prodat tam heroica Josephi magnanimitas, quàm divina moderatio, quòd iræ & odii victor fuit, ut tam ardentè amaret eos, qui scelestè ad machinandum illi exitium, nullâ injuriâ lacesiti, conspiraverant. Cæterum hæc φιλοστοργία est viva imago amoris Dei patris erga genus humanum, itemaque Jesu Christi erga hostes suos.

2. Joseph dicendo, *se non à fratribus, sed à Deo missum esse in Ægyptum*, nec fratres crimine absolvit, nec Deum criminis eorum auctorem facit, sed Deum per fratrum crimen sanctum suum consilium, de ipsius ad exarchatum Ægyptium evectione, sapientissimè juxta & sanctissimè executum esse docet. Itaque in hoc opere est concursus Dei & fratrum Josephi planè heterogeneus, quomodo videmus, si sol splendeat per vitrum sordidatum vel coloratum, lumen esse à sole, sed obscuritatem & colorem luminis à vitro. Quam rem sic explicamus ex Bellarmino, Herbrando, & Calvino. *Ex Bellarmino*: In malis operibus sæpè accidit, ut actio sit mala & passio bona. Nam venditio patriarchæ Joseph ex parte agentium,

tium,

tium, id est vendentium, erat scelus gravissimum. Ex parte patientis, hoc est, Josephi, æquo animo ferentis venditionem, opus erat summæ patientiæ. Deus itaque patientiam voluit, actionem vendentium permittit, ut multa & magna bona inde eliceret. Ideo Joseph fraternâ charitate permotus fratres consolatur, ostendens bonum rei eventum ex divinâ providentiâ, quæ non solum permittit illos malè agere, sed etiam ordinavit malam actionem ad bonum. *Ex Herbrando.* Hoc exemplo (venditionis Josephi) patet, quomodo in eodem factò plures causæ concurrant, quæ tamen diversimodè se habent. Deus enim malâ fratrum voluntate bene utitur, & hâc occasione ipsum ad principatum Ægypti promovet. *Ex Calvino:* Deus mirabiliter per impios operatur, ut ex impuris fœcibus liquida justitiam eliciat. Arcana hæc est agendi ratio, sensuque nostro longè altior. Deus enim arcano fræno providentiæ motus eorum dirigit, quocunque ei visum est. Distinctè tamen agit Deus, ut nihil in ejus providentiâ vitii hæreat: nihil ejus decreta affine habeant cum vitiis hominum: cujus rei pulchrum speculum in hâc historiâ oculis nostris subjicitur. Venditus fuit Joseph à fratribus, quorsum, nisi quia perditum extinctumque modis omnibus volebant. Idem opus Deo adscribitur, sed longè diverso fine, ut scilicet tempore famis nutritium haberet Jacob.

3. Vestes mutatoriæ in scripturis sunt vestes pretiosissimæ, quæ scilicet solent mutando indui depositis vilioribus.

C A P U T X L V I.

i. Jacob in Ægyptum descensurus consulit Dominum, qui respondet, *se cum ipso descensurum, & facturum, ut ascendendo ascendat in terram Canaan, nempe in posteris.* Nam promissiones de occupatione terræ Ca-

naan Patriarchis factæ, in posteris tantum erant implendæ.

2. Deus Jacobo futurum spondet, *ut Joseph ipsi claudat oculos*, videlicet ipsi morienti, hoc enim religiosum erat apud veteres, & honoris causâ observatum. Alii tamen sic interpretantur, *claudet tibi oculos*, hoc est tibi tuisque non deerit.

3. Moyses in hoc capite observat triplicem epilogismum, hoc est, modum numerandi familiam Jacobi. Et primò quidem numerat solum animas, quæ ex Jacobi femore sunt egressæ, & cum ipso ingressæ in Ægyptum numero 66. v. 26. Deinde numerum totius gentis Jacobæ exprimit comprehensis, Jacobo, Josepho, & duobus filiis Josephi numero. 70. v. 27. Tertio numerum capitum omnium ad familiam Jacobi pertinentium in unam summam contrahit, nimirum comprehensis quatuor uxoribus Jacobi, & duobus filiis Judæ extinctis in terrâ Canaan. Et ita sunt omnes animæ familiæ Jacobi, 76. à *vers. 8. ad 28.* comprehenso ipso Jacobo. Ex hoc numero Stephanus. *Actor. 7.* expungit Jacobum quando ait, Joseph accersivit patrem suum Jacob, omnemque cognationem ejus capitum, 75. Ita ut hîc sit numerus non descendantium, sed ad familiam Jacobi pertinentium, qui toto hoc capite commemorantur. Hunc autem numerum adhibuit Stephanus ut Judæos convinceret, quàm bene teneret legem, quam illi affirmabant ab ipso impugnari.

C A P U T XLVII.

I. **J**acob vitam suam appellat *peregrinationem*, quia nempe jus civitatis pii habent in cælo, atque huc spectat usitata distinctio inter statum viæ & patriæ. Deinde Jacob dicit, *dies suos esse paucos & malos*. Paucos; nempe comparatè, quia post Tharæ, patrem Abrahami, nemo legitur in Bibliis ad ducentos pervenisse annos; malos, quia contemperati erant plurimis calamitatibus.

2. Joseph

2. Joseph in dispensatione annonę observavit proportionem Geometricam & Arithmeticam. Geometricam, quia statuit discrimen inter familiam paternę domus, & Ægyptios. Illam enim jussu regis alit gratis, his verò vendit annonā. Agit enim Joseph ut fidelis dispensator, quem non convenit de heri sui bonis liberalem esse, nisi in quantum ille vult. Vult autem Rex familiam Jacobi gratis alit, ut se gratum declaret erga Josephum de toto regno bene meritum. Quò accedit singularis Dei providentia, quā vult Jacobum, post varias afflictiones benevolè tractari, Ægyptios autem securitatis suę causā puniri. Deinde proportio Arithmetica est in eo, quòd Joseph vendit Ægyptiis annoniam, primò pro pecuniā, tum pro pecoribus, & denique pro fundis ac prædiis, adeò quidem ut Pharaon totam Ægyptum jure emptionis possideret, qui contractus, etsi primā fronte videtur crudelis, tamen est plenus justitię. Nullę siquidem insidię, nulla circumventio, nulla vis, nullę minę fuerunt adhibitę: sed Joseph bonā fide, pariq; industriā curavit regis negotium, & ipsi acquisivit imperium in subditos despoticum.

3. Joseph agros Regi emptos, quintā redditus parte oneravit, hoc est, binas decimas pendendas ordinavit. Excepit tamen ab hoc onere agros sacerdotum: quia conveniens est juri divino & humano omnium gentium, ut bona ecclesiastica ordinariè sint improfessa. Cæterum Joseph non probavit hoc modo superstitionem sacerdotum, sed statum ipsum honoravit.

4. Studium Jacobi non est superstitiosum, sed religiosum, quòd non vult sepeliri in Ægypto, sed cavet ut transferatur in terram Canaan. Hanc enim Deus sanctificaverat sedi Israëlitarum. Itaque Jacob hoc fecit, partim fidei suę de terrā promissā testandę, partim familię in eadem fide confirmandę, partim communio- nis sanctorum, adeoque charitatis erga majores suos declarandę gratiā.

5. Jacob adoravit incumbens cervicali lecti sui, & si-

G

mul summitati baculi. Nam lumbis à tergo nixus fuit cervicali, à fronte autem summitate baculi. Prins hoc loco dicitur; posterius dicit Apostolus *Heb. 11.* secutus versionem septuaginta interpretum, ut imperitiorum offensam caveret, canone charitatis.

C A P U T X L V I I I.

1. **I**N factio Jacobi decussantis manus suas & Ephraïmum præferentis primogenito Manasse, duo sunt notanda. 1. adoptionem carnalem symbolum esse adoptionis spiritualis: & utramque descendere ex merâ Dei eligentis *Adoptiâ*, non verò ex meritis humanis. 2. sanctos quandoque dissentire de aliquo religionis capite, ut hoc loco Jacob & Joseph discordant de jure benedictionis.

2. Impositio manuum adhibebatur vel in publicis & solennibus victimarum consecrationibus, vel in benedictionibus privatis, vel in ministris ecclesiæ constituendis, vel in conferendis donis Spiritus Sancti, vel denique in faustis precationibus. Habuit autem hæc ceremonia quadruplicem significationem. 1. consecrari peculiariter Deo, & sacris illius usibus & totum & tantum addici, cui manus imponuntur. 2. auctoritatem illi tradi. 3. dona Dei communicari. 4. ita consecratum curæ & protectioni Dei commendari.

3. Angelus *v. 16.* est filius Dei, quia ex æquo oratur cum Deo, & opus divinum, id est, vindiciæ Jacobi de ipso enunciatur.

4. Jacob dicit, *Invocetur nomen meum super pueros istos*, hoc est, illi censeantur inter duodecim Patriarchas, & filii mei dicantur, ac si ex me geniti essent. Confer *Esaiæ 4. v. 1.* Sic autem loquitur Jacob, ne quis existimaret, ipsis aliquid obesse posse, vel derogari, quòd in Ægypto ex matre Ægyptiâ nati essent.

5. *Vers. 22.* Intelligendus est propheticè non historicè. Ne-

cè. Ne-

cè. Neque enim Jacob gladio & arcu suo cepit Sichem, sed posteritas ipsius.

C A P U T X L I X.

1. **T**estamentum Jacobi hoc in capite est heroicum, propheticum, & allegoricum.

2. Benedictiones & maledictiones in hoc capite sunt propheticæ, non magicæ, neque ex amore cæco aut odio profectæ, neque etiam œconomicae, aut ecclesiasticae, proinde non sunt trahendæ in imitationem.

3. Oraculum Jacobi de tribu Juda non debet accipi de virgâ castigationis sed dominationis: neque mysticè de perpetuâ dominatione Papæ, usque ad secundum Christi adventum, neque de absolutâ & perpetuâ continuatione dominationis in tribu Juda, usque ad finem seculi, sed de continuatione terminatâ usque ad primum Christi adventum: neque etiam de omnibus tribubus promiscuè, sed de tribu Juda tantùm, neque de continuatione dominationis usque ad Nebucadnezarem, sed usque ad Christum.

4. Hoc idem oraculum non est prophetia conditionis, sed prædestinationis, quia prophetiæ de adventu Messiae non sunt conditionatae.

5. Vaticinii hujus interpretatio debet colligi ex eventu. Is autem docuit penes tribum Judam semper fuisse axioma politicum, sive prædominium, utut aliæ tribus subinde habuerint dominium. Istud verò axioma in his est positum: Quòd tribus Juda tempore Moylis primum obtinuit locum in castris: tempore Josuæ prima accepit hæreditatem absque sorte: tempore Judicum reliquorum universalis prærogativa penes hanc tribum mansit, postea à Davide usque ad captivitatem Babylo- nicam regnum Judæ floruit, deinceps duces ex hâc ipsâ tribu fuerunt lecti, inde à Zorobabele usque ad Macca- bæos, inde usque ad Christum Synedrium magnum in plenâ suâ potestate mansit usque ad Herodem, idque in

familiâ David. Ex his itaque liquidò liquet, summam potestatem inde à Moyse, usque ad Christum mansisse in tribu Judâ.

6. *Siloh* est Messias, ut in triplici Thargo, Onkelos, Jonathan, & Hierosolymitano, legere est. Idem docent Cabbalistsæ, apud quos *Jabo Schiloh* in numeris faciunt 358. qui numerus etiam prodit ex Arithmeticâ resolutione vocis *Maschia*. Porro idem confirmat circumstantia textus, quia nempe promittitur vocatio gentium, quæ sint adhæsuræ isti *Siloh*.

7. Illustre hoc vaticinium non citatur in N. T. quia inter Christum & Judæos non erat controversia de tempore adventus Messiae, sed de individuo Messiae. Nam Judæi fatentur, *Matth. 2.* illud tempus jam adesse, & in historiâ passionis Christi clamant, non habemus regem nisi Cæsarem.

8. Tribus *Dan* miserè defecit prima, & in defectio- ne permansit, adeò ut tempore reversionis ex *Babyloniâ* nihil de tribu extet. Post tribum verò *Dan* defecit tribus *Ephraim* in *Jeroboamo*. Atque hinc est quòd *Apoc. 7.* nomen utriusque hujus tribus planè omittitur, & substituuntur *Levi* & *Joseph*.

9. Mandatum de sepulturâ *Jacobi*, quod *Joseph* jam diu ante dederat in antecessum, sive per provisionem, hoc in capite repetitur. Quia est momentosum, ratione religionis specialis.

C A P U T L.

1. **J**oseph utitur interventoribus apud Pharaonem, qui impetrent ipsi com meatum ad sepeliendum parentem, quia pullati non poterant ex lege & consuetudine coram regibus apparere.


2. *Joseph* non peccavit, quando *Ægyptios* infideles ad funerationem parentis admisit: quia planctus *Ægyptiorum* fuit politicum humanitatis officiũ, & verò exequiæ

quæ

quæ Jacobi non fuerunt tantùm opus religiosum, sed mixtum.

3. Joseph refert maleficium fratrum ad singulare beneficium Dei, malo utentis bene, non ut maleficium ipsum transfundat in Deum, sed ut eos à tristi recordatione maleficii ad providentiæ ejus admirationem & prædicationem traducat.

4. Translatio funeris Jacobi, & ossium Josephi, probat honorificam funerum curationem, non verò superstiosam reliquiarum venerationem, asservationem, & adorationem. Translatio enim illa Israëliitarum, & venerationis Papistarum, differunt per omnia causarum genera. Quia Israëlitæ transtulerunt juramento astricti, & transtulerunt vera corpora & ossa, ut honorificè sepelirentur, & denique communionem sanctorum ita facerent contestatam. Sed Papistæ superstitione ducti, non habentes mandatum, reliquias nescio quas supponunt, & asservant ostentando, idque ad quæstum & idololatriam.



E X O D U S.

C A P U T I.

I. **A** N I M Æ dicuntur egressæ ex femore Jacobi, non quòd anima sit ex traduce, sed quia homo ex homine, persona ex personâ nascitur.

2. Septuaginta animæ hîc intelliguntur, comprehenso ipso stipite Jacobo, Josepho, & duobus ejus filiis.

3. Israëlitæ in Ægypto fœtificaverunt, exundaveruntque ad instar piscium, singulari atque extraordinariâ Dei benedictione. Nihil igitur est objectio Arheorum, qui dictitant tam brevi temporis spatio, videlicet annis 215. familiam Jacobi non potuisse excrecere in tam numerosam multitudinem, nam si rectè subduca-

tur calculus, unus ex duodecim Patriarchis, v. gr. Ephraim, potuit intra ducentos annos habere posteros masculos ad bellum aptos quingenties quinquagies mille, potuit enim habere anno ætatis 30. denos liberos: 60. centum nepotes: 100. mille pronepotes: 120. decies mille abnepotes: anno 150 centies mille atnepotes &c.

4. Rex novus in Ægypto non agnovit Josephum, non oblivione rei vetustæ, sed voluntate: vel potius malevolentia, quia nihil tam facile perit, quam beneficii recordatio.

5. Pharao infanticida, cognomento Busiris, primò coegit Israëlitas per curatores angariarum, ad onera publica: adeoque ad extruendum armamentaria & pyramides: deinde illos compulit ad servitutem publicam, veluti mancipia: terriò instituit tollere liberos ipsorum masculos per obstetrices: quartò palàm jussit ipsos projici in flumen. Hic itaque habemus speculum tyrannidis gradatim procedentis. Ubi diligenter tenendum est, discrimen regis & tyranni: quòd rex suam utilitatem metitur publicam, tyrannus publicam suam, non dicam utilitate, sed libidine: Et rursus oportet tenere discrimen inter imperium regis paternum, durum seu onerosum, & durum seu tyrannicum. Quæ distinctio plurimum lucis infert disputationi de jure regio, Deut. 17. & 1. Sam. 8.

6. In Ægypto & Græciâ olim erant institutæ scholæ obstetricum, & quædam etiam libris editis fuerunt claræ. Hujusmodi obstetrices primariæ fuerunt illæ duæ, quas Pharaò hoc in loco ad se accersit.

7. Obstetrices non tantum non fecerunt, quod rex mandaverat, sed etiam contra fecerunt, quam mandaverat. Prudenti enim & veraci defensione, culpam, quam rex sibi imaginabatur, in matres ipsas transtulerunt: quæ matres naturali jure justissimam habebant exceptionem adversus edictum tyranni. Non ergo est necesse ut dicamus obstetrices illas esse mentitas, quia studium maternum, & benedictio Dei extraordinaria proculdubio

dubiò prægnantes in puerperio confirmarunt, ut vivi-
dè eniterentur.

C A P U T I I.

I. **A** *Mram* suscepit Moysen ex Jochebeth, amitâ suâ,
quæ nuptiæ non fuerunt incestæ: quia tum tem-
poris nondum lata erat lex illa, quæ est. *Lev. 18. v. 11.* Ubi
teneatur regula: *Nuptiæ in lineâ ascendente & descenden-
te simpliciter sunt incestæ, & proinde nullam potest hic
habere locum dispensatio. Secus se habent nuptiæ in lineâ
collaterali.*

2. Mater Moysis filiolum exponit in ripâ Nili, non ex
aliqua *âzæziæ* vel imbecillitate fidei, sed ex pleropho-
riâ fidei. *Hebr. 11.* Quia credebat sub spe contra spem.
Quid fecit hoc ex singulari instinctu Spiritus sancti,
ut ex eventu patet. Deus enim procuravit ut mater, quæ
puerulum suum educatura fuisset summo cum pericu-
lo, postmodum sine periculo ipsum educaret.

3. Filia Pharaonis adoptavit Mosen & indidit ipsi
nomen Hebræo-Ægyptium. Nam lingua Ægyptia est
proxima tradux & propago linguæ sanctæ. Cæterum
præter hoc nomen Hebræo-Ægyptium, Moses etiam
habuit nomen purè Ægyptiacum *Mneves*, ut apud Dio-
dorum Siculum.

4. *Moses fuit institutus in omni sapientiâ Ægyptiorum,*
non discendo magica ipsorum apotelesmata, sed aurum
à scoriis separando. Nam ad informationem hanc ordi-
nariam & humanam, accessit informatio divina, atque
inspirata, quæ in ipsâ praxi se exercuit, *v. 11. & seqq.*

5. Moses divino impulsu percussit Ægyptium, *A-
ct. 7.* in hujus enim Ægyptii nece præludium quasi fuit
editum illorum, quæ Deus per Moysen postea facturus
erat. Sicut enim Moyses percussit illum Ægyptium &
abscondidit: Sic postea Pharaonem & Ægyptios per-
cussurus erat. Hoc itaque factum, utpote heroicum &
extraordinarium, admirari, non verò imitari decet, nisi
in simili casu idem impulsus Spiritus sancti fuerit.

6. Etsi Moses ex vocatione divinâ occidit Ægyptium, non tamen peccavit, quòd hoc fecit clanculum, nam latentis vocationis opera debent esse & ipsa latentia. Postquam verò in publico innotescit vocatio, tum quoq; publicè debent fieri vocationis opera, quæcunq; ad notitiam publicam pertinent.

7. Non ut Joseph, ita quoq; Moyses, potuit fidem & aulam simul retinere. Nā ille divinitus vocabatur in aulam Pharaonis pii, ut hâc occasione Hebræi in Ægyptū proficiscerentur: Hîc autem divinitus vocabatur ab aulâ Pharaonis impii, ut Hebræos ex Ægypto educeret.

8. Jethro fuit binomius, & alio nomine dictus fuit *Reguel*. Fuit autem Cohen apud Midianitas, id est, sacerdos & præses politicus simul. Solebant enim veteres hæc duo axiomata ferè conjungere.

9. Clamor Israëlitarum ascendit ad Jehovah, qui exaudivit ipsos: non quòd antea non exaudiverit, sed quia pro forensi ratione Judicium, quæstionem & cognitionem causæ præmisit executioni.

C A P U T I I I.

1. **H**oreb non est unus duntaxat mons, sed tractus quidam montanus, in quo est Sinai: quales ferè sunt Alpes in Germaniâ, & mons Apenninus in Italiâ. Dicitur autem hic *mons Dei*, non ob altitudinem, sed ob specialem eventum: videlicet propter hanc visionem, & sequentes omnes, quæ in hoc libro exponuntur; adeoque etiam ob legis promulgationem, quæ in eo est facta.

2. *Angelus Jehova*, idem est Jehovah, ut patet ex v. 4. est inquam Jesus Christus: qui appellatur angelus Jehovæ tribus de causis; quia consilium patris enarrat Evangelicè, & apparet ut alii angeli; & denique apparitionibus suis præludit incarnationi futuræ. Aliàs appellatur angelus faciei Dei, & angelus fœderis, itemque magni consilii.

3. Signum rei significatæ hîc respondet pulcherrimè.
Flam-

Flamma ignis adumbrat afflictiones Israëlitarum; rubus ecclesiam Israëlitarum; integritas rubi in mediâ flammâ stabilitatem istius ecclesiæ ex promissione & conservacione Dei. Hæc hypothesis transferenda est ad thesin; ita ut rubus ille sit figura ecclesiæ Catholicæ, quæ non consumitur, sed perficitur flammis persecutionum. Rursus hypothesis ista ad aliam hypothesis est transferenda. Nam hoc eodem signo Moses docebatur, tametsi in flammam ardentem incedere ipsum oporteat ad præstandum functionem suam, integrum tamen à flammâ fore virtute Dei. Atque hæc est allegoria interna sive oblata, præter quam dantur aliæ externæ seu quæsitæ, quas inter duæ istæ eminent: quòd rubus iste sit pictura unionis personalis in Christo; itemque æternitatis & veritatis Dei.

4. Calceorum positio triplex est in scripturis: communis seu universalis, forensis, & religiosa. Communis positio calceorum significat abjectionem & depositionem commodorum ad functionem hujus vitæ pertinentium. Ita homines in squalore & luctu versantes posuerunt suos calceos, ut David, 1. *Sam.* 15: & jubentur in scripturis calceos ponere, quibus luctus imperatur. *Esa.* 20. & *Ezech.* 24. Forensis calceorum depositio significat solennem renuntiationem, cessionem, & devestituram, cum quis bonis aut jure suo cedit, *Deut.* 20. *Ruth.* 4. Denique religiosa calceorum depositio fuit ceremonialis duo testificans, positionem sordium & cogitationum humanarum, & stationem religiosam, id est, præsentiam animi, in rebus divinis, utpote puris sese occupantis, ut hoc loco & *Josua* 6.

5. Locus in quo stabat Moses, dicitur *terra sanctitatis*, non per se, sed per sanctissimam Dei præsentiam, quam ille symbolo aspectabili testatam faciebat. Est itaque hæc relatio, eaque non perpetua.

6. *Moses abscondit faciem suam*, tum infirmitatis & vanitatis suæ conscientiam, tum apprehensione divinæ

majestatis, quæ duo inter sese collata, non possunt non parere solidam humilitatem.

7. Deus non solum signo rei præsentis, sed etiam rei futuræ, Mosen erigit; quod videlicet in isto monte sit immolaturus aliquando.

8. Nomen Dei אֱהִיָּה אֲשֶׁר אֱהִיָּה notat firmitatem essentia, potentia, & promissionum Dei, hoc est, æternitatem, omnipotentiam, & veracitatem. Diligentissimè autem hïc tenenda est regula philologica: *Futurum sæpe includit præteritum & præsens.* Itaque אֱהִיָּה אֲשֶׁר אֱהִיָּה primò est, Sum qui sum, hoc est, mei semper sum simillimus. Deinde, Ero qui ero, id est, omnia mea attributa ut ab æterno, ita in æternum simul possideo. Denique ero qui eram, id est, ero apud vos factis, qui eram apud patres vestros promissis. Atque hæc expositio, omnium certissima, fundamentum habet, *Rom. II. v. 36. & Apoc. I. v. 8.*

9. Deus dimissionem ad iter triduanum peti jubet à Pharaone: non imperando mendacium, sed dissimulationem. Voluit enim Deus gradus justitiæ suæ administrare secundùm gradus impietatis Pharaonis.

10. Israëlitæ jubentur spoliare Ægyptios: non quòd imperetur furtum, sed quia Deus bona sua aufert, transfert, & confert, prout vult. Deinde hæc merces debebatur Israëlitis pro servitute durâ & dirâ. Denique Ægyptii hæc dona ultrò promiserunt & obtulerunt Israëlitis, ut loco cederent.

C A P U T I V.

I. **S**olius Dei est ministros sibi deligere. Id autem facit duobus modis, uno ordinario, altero extraordinario: qui duo modi interdum concurrunt. Ordinaria autem vocatio est, cujus quidem auctor est Deus, sed quæ fit eorum suffragiis, quibus Deus in ecclesiâ hoc jus tribuit, secundùm leges ab ipso præscriptas. Itaque hæc semper est mediata. Vocatio extraordinaria est, cujus
Deus

Deus auctor est sive proximè & immediatè, uti Moses hoc loco vocatur: sive mediatè, ut Aaron per Mosen, & Elisæus per Eliam est vocatus. Rursum vocatio extraordinaria duos admittit gradus. Aut enim fit externè & visibiliter, ut Moses hoc loco vocatur: aut internè tantùm, uti Philippus ignaris reliquis Apostolis, *Actor. 8.* profectus est in urbem Samariæ. Quos gradus, qui non distinguunt, in Labyrinthum sese induunt inextricabilem. Nam omnis divina vocatio extraordinaria extraordinariis testimoniis opus habet; iisque vel miraculis, & donis, & successu simul uti prior: vel donis tantùm, & miraculoso successu ut posterior. Porrò ut miracula sint testimonia vocationis extraordinariæ duo ista requiruntur. 1. ut vocatio sit consentanea verbo Dei; ut hoc in loco vocatio Mosis. 2. ut miracula illa sint vera, non verò apparentia, quibus pseudoprophetæ offutias faciunt justo Dei iudicio, *Deut. 13.*

2. Baculus Mosis convertitur in serpentem, ut significetur Deum quolibet instrumento, tum ad perditionem suorum hostium, tanquam serpentibus, tum ad ductum suorum, tanquam gregis, qui pedo regitur, liberè uti posse.

3. Quòd manus Mosis momento afficitur elephantiasi, & momento curatur, illo significat Deus se instrumentis abjectissimis, & nominatim Moyfi (cujus erant manus) tributurum esse vim quandam extraordinariam.

4. Transsubstantiatio Papistarum ex his miraculis perperam exsculptur. Aliud enim est transire in naturam toto genere differentem vi generationis vel vi creationis: aliud salvâ naturæ suæ integritate ex singulari dispositione & dispensatione divinâ novam assumere prædicationem & functionem; ut cùm panis Eucharistiæ dicitur *σβωρὶα* corporis Christi.

5. Omnis vocatio divina conjunctam habet promissionem. Sic etsi hoc loco Deus non facit ut Moyses ex indiferto fiat disertus: tamen fratrem Aharonem ipsi

collegam dat, & ait: *Aaron erit tibi pro ore, & tu eris illi pro Deo*; hoc est, ipse erit tibi orator, tu eris ei director nomine meo. Atque hæc Mosis & Aaronis operæ mutuæ notant concordiam, quæ in politiâ & Ecclesiâ debet vigere.

6. Oâties dicitur Deus obdurasse cor Pharaonis, & ter Pharaon ipse obfirmasse cor suum, & quinquies obfirmatum fuisse cor ejus, videl. à Diabolo. Hæc enim sunt tria indurationis principia, duo externa, unum internum. Deus indurat non solum præsciendo, permitiendo, & generaliter movendo (hoc est, non illuminando intellectum, neque flectendo voluntatem & affectus) tum irritando (hoc est, successum dando conatibus impiorum & oraculis atque miraculis, seu beneficiis & judiciis suis homines pungendo) denique impellendo ad finem sanctum. Diabolus indurat suadendo, & infundendo. Denique homo indurat seipsum, contemnendo Deum, Diabolo assentiendo & in malum ultrò ruendo.

7. Deus præcipiens Pharaoni, ut dimittat populum, & tamen aggravans cor ejus ut dimittere nolit, non est sibi contrarius. Quia præcipiendo non significat quid velit facere, sed requirit obedientiam: Aggravando, non efficit sed afficit, id est, punit inobedientiam. Teneatur igitur regula: *Mandata Dei semper sunt signa voluntatis revelata, quam nos facere tenemur; sed non semper sunt signa voluntatis arcana, quam solus Deus facit.*

8. Deus Moysen quærebat interficere, nõ quòd vellet hoc facere, sed ut ostenderet, quid posset facere, quidque Moses commertus esset, negligendo sacramentum, adeoque impuritatem contrahendo, non solum sibi, sed universæ quoque familiæ, ut esset planè ineptus ad fungendum suâ vocatione.

9. Zipora ad circumcidendum filiolum ex occasione particulari adducitur. Itaque factum ejus est extraordinarium, quod ordinariè ad patres familiâs pertinebat. Non itaque illa ordinem ministerii ecclesiastici turbavit,

bavit,

bavit, sed negligentiam patrisfamiliâs compensavit. Quare hinc non rectè arcessitur argumentum pro *ἡγορησμός*, quia baptismus est pars ministerii Ecclesiastici.

10. Zipora Mosen appellat *sponsum sanguinum*, id est, maritum redimendum sanguine filii. Hinc Rabbinii candidatum circumcisionis vocant sponsum; quia per circumcisionem populo Dei solenniter conjungitur & Deo. q. desponderetur.

11. Particula *Zur* significat petram & cultrum. Quo utroque Judæi olim sunt usi in circumcissione. Nam in defectu ferri usi sunt petris acutis.

C A P U T V.

I. **H**Oc caput est speculum tyrannidis, semper auge-
 scentis, atque invalescentis, ex quo primùm nata
 est: & comprobatur vetus illud dictum, *Cùm duplicantur
 lateres, venit Moyses, & cùm venit Moyses, duplicantur
 lateres.*

C A P U T VI.

QUæstio hîc est una de nomine Jehovah, an illud
 innotuerit patribus ante Moysen? solutio pendet
 ab usitatâ illâ regulâ; *Res tunc dicuntur fieri, cùm sunt
 manifestè, ex usu scripturæ.* Itaque Deus non innotuit Pa-
 triarchis nomine suo Jehova, quatenus illo significatur
 E S S E R E I, etsi illis innotuit hoc nomine, quatenus
 significatur illo E S S E D E I. Innotuit illis Deus nomi-
 ne suo schaddai; quatenus potenti suo verbo fidem il-
 lorum sustentavit. Cæterùm nomen Jehova, secundùm
 tres temporis differentias, notat eum, qui fuit, est, & erit,
 tum in se, tum in operibus naturæ, gratiæ, & gloriæ, ac
 proinde admodum eleganter redditur per duo ista

Græcorum nomina, *ὁ ἀνὴρ, καὶ ὁ θεὸς*, item-

que per mirabile illud Gregorii vo-
 cabulum P E R E S S E.

C A P. VII. VIII. IX. X.

De plagis Ægypti, & ex professo de miraculis & magiâ.

1. **I**N plagis Ægypti occurrunt personæ, & ipsæ plagæ. Personæ sunt agentes & patientes. Agentes sunt Deus, administri Dei, putà Moses & Aaron; & administri Diaboli, putà magi Ægyptii. Personæ patientes sunt Pharaon & ipsius subditi. In plagis est numerus, ordo, executio, & eventus. Atque in his duobus postremis miracula Dei & æmulatio magorum sunt distinguenda. Itaque duo isti loci de miraculis & magiâ, cum curâ sunt explicanda.

2. Quemadmodum videmus limum tantò magis durescere, quantò sol vehementiùs calefacit, cum idem sol ceram non duriorè, sed molliorè reddat; & quemadmodum is noctuam excæcare dicitur, qui lumen infert; denique ut calcem accendere dicitur, qui aquam affundit: sic Deus promulgando sua mandata, & edendo sua miracula, obstinatiores reddit Pharaonem; qui petulanter excutiendo gubernationem divinam, justè à Deo deseritur. Quemadmodum videmus nautas, qui in præsentis periculo gubernatores, à quo servari poterant, petulanter excutiunt, suo vitio perire. Dicit autem Deus se excitasse Pharaonem, ut in eo suam potentiam ostendat. Quod non de nudâ toleratione, sed de efficaci gubernatione oportet accipere.

3. Moses constituitur Pharaoni Deus propter auctoritatem. Aaron constituitur Mosei propheta propter δύναμιν ἐργασίας καὶ ἰσχύϊν quâ præpollebat.

4. Moses in administratione miraculorum est instrumentum passivum, si spectetur formale miraculorum. Itaque non egit physicum aut Astrologum, qui verb. gr. pediculos ex limo hanc ad rem adaptato produxerit, aut tenebras vi eclypseos futuras prædixerit.

5. Moses toties precatur, non pro Pharaonis conversione,

sione,

sione, (sciebat enim ipsum esse insanabilem) sed ut à præsentì plagâ liberetur; idque ut magis eluceat Dei virtus, utque tyranni animum magis convincat.

6. Magi Ægyptii (quorum duces & antesignani erant Jannes & Jambres. 2. *Tim.* 3.) primò suis præstigiis imitantur Dei miracula, sed postea inviti dant Deo gloriam: & hoc ipso fatentur sua priora opera non nisi vana Satanæ phantasmata & ludibria fuisse. Porro aquæ, quas Magi videbantur in sanguinem vertisse, aut fuerunt effossæ; aut ex Israëlè importatæ.

7. Pharaos Acherres (hoc enim ipsi cognomen) est imago hypocritarum, qui judiciis Dei exerciti simulant pœnitentiam tyrannorum, qui vulpinam cum leoninâ permutant; & denique Diaboli, qui nos in Ægypto infernali detinebat.

8. Subditi Pharaonis comprobant illud vulgatum: *Qualis rex, talis grex*; dum autem omnia ipsorum pecora dicuntur percussa, id non universaliter, sed communiter est intelligendum. Nam deinde in plagis sequentibus fit mentio pecorum.

9. Decem plagæ immittuntur, vel quòd Deus voluerit præludere decalogo, cujus præcepta omnia & singula Pharaos erat transgressus: vel, quod malo, quia denarius est numerus perfectionis, ut subindicetur Deum perfectissimè sua judicia inibi administrasse.

10. Ordo plagarum est, quòd illæ semper crescunt, & quidem ita: prima & secunda occupantur circa aquas; tertia, & quarta circa terram; quinque sequentes circa aërem; decima circa hominem.

11. Executio plagarum ita fit, ut iis non implicentur Israëlita, quia signati ☩ fuerunt divino.

12. Eventus plagarum est alius per accidens, ut simulata emendatio Pharaonis; alius per se, ut dimissio populi.

13. Miraculum latè sumptum est opus mirabile, idque vel naturæ vel artis, vel diaboli vel Dei. Et ita miracula sunt vera & apparentia, immediata vel mediata,

ordinaria vel extraordinaria. Sed miraculum strictè est opus admirandum, supra naturæ potentiam extraordinariè à solo Deo profectum, & ejus operatio est species quædam creationis. Itaque hujusmodi miracula diabolus edere non potest. Quæ verò edit miracula, aut sunt præstigia & illusiones, aut actiones reales. Illusiones sunt vel sensuum, vel mentis. Actiones reales sunt tales operum ipsorum respectu, quæ ipsa tamen mendacia sunt ratione modi, vel finis, vel utriusque. Fundamentum verò istorum operum realium est vel applicatio activorum ad passiva vel acceleratio causarum secundarum, vel translatio corporum: quæ omnia diabolus facere potest pro suâ scientiâ insitâ & acquisitâ, potentiâ, & agilitate, quatenus Deus ipsi frænum laxat, ut in historiâ Jobi videre est. Hujus itaque loci est illa maxima: *Diabolus non potest ea, quæ requirunt omnipotentiam, neq; illa, quæ sunt contradictoria, qualis est penetratio corporum; deniq; non potest generare, tametsi potest generationem, imprimis æquivocam, promovere.*

14. Magia est pura sive naturalis, de quâ *Matth. 2.* vel impura & necromantica, in quâ videre oportet fundamentum, species, pœnam, & remedium. Fundamentum magiæ est pactum cum Diabolo, idque vel expressum, manifestum, vel occultum, ut, cum quis utitur mediis superstitiosis. Ex speciebus suis magia est divinatrix vel operatrix. Divinatrix est, quâ magi patefaciunt res præteritas, præsentis, vel futuras, idque aut immediatè per spiritum fatidicum, aut mediatè; idque rursus vel per creaturas Dei, ut aquam, crySTALLUM &c. vel per res artificiales ut per cribrum, sortes &c. vel denique per media fictitia, ut sunt defunctorum repræsentationes. Magia operatrix est vel incantatrix, quâ producuntur procellæ, aëris infectiones, morbi &c. vel præstigmatrice, cum organa sensuum occupantur, & aër, medium illud videndi, turbatur, & denique objectum aliter & aliter afficitur. Utraque ista magia est lædens vel juvenans: unde lamia seu malefica, seu saga & ipsa est ligans vel solvens.

solvens. Pœna maleficis irroganda spectatur in fundamento & modo suo. Fundamentum est lex naturæ, quam Deus judicialiter informat, *Exod.22.18*. Modus cernitur in inquisitione, convictione, executione. Inquisitio debet fieri à magistratu, ita ut ille ducatur suspitione probabili, aut etiam testimonio evidenti. Convictio non debet fieri per aquam frigidam, non per ferrum candens &c. sed per confessionem propriam, quæ potiùs à prudentiâ, quàm à sævitiâ judicis proficisci debet. Observandus autem hîc est iste processus. Patefactionem maleficæ forensis præcedat patefactio popularis, quæ in eo est posita, ut rumor emanet per homines auctoritate, pietate, & charitate conspicuos. A` populari patefactione veniendum est ad socialem, quâ fit ut illi, qui societate aliquâ cum maleficâ sunt conjuncti, testimonium perhibeant. A` patefactione sociali ascendatur ad realem, quæ quidem constat quatuor gradibus, videlicet si malefica innotescat per diras seu execrationes, comminationes, characterem, & veneficium. Nunc demum incipiat patefactio forensis seu judicialis, & quidem primò per meras & nudas interrogationes, adhibitis ecclesiæ ministris. Deinde verò si persona sit convicta, sed obstinata, per torturam tempestivam & temperatam. Executio debet variare pro ratione ætatis, noxæ, & similibus circumstantiarum. Remedia adversus magiam sunt alia illicita, ut signum crucis, exorcismus, usus reliquiarum, nomen Jesus &c. alia licita, eaque prophylactica vel analeptica. Prophylactica meditatio fœderis gratuiti & vitæ æternæ, adeoque etiam gehennæ, timor Dei & precatio. Analeptica sunt, cum vel integræ regiones liberantur ab hoc malo per Evangelii prædicationem; vel particulares personæ à magis læsæ, patienter ferunt hanc crucem, & precibus instant apud Deum, & denique peritum consulunt medicum.

H

C A P U T X I.

1. **I**saac, Moses, Ezechias, & Johannes Baptista in scripturâ appellantur magni, non communiter, quomodo omnes filii Dei sunt verè magni, ratione videlicet adoptionis, imputationis, sanctificationis, & futuræ glorificationis: sed singulariter; & Moses quidem hoc loco dicitur magnus & donis & autoritate; quæ duo si concurrant in homine, nihil non potest dignum perficere suâ vocatione.

2. Deus comminatur se plexurum primogenitum Pharaonis, & primogenitum ancillæ, quod non pugnat cum illo *Ezech. 18. Filius non luet peccatum patris.* Nam
 1. Deus nunquam punit innocentes: quia omnes homines sunt rei & maledicti coram ipso. 2. Pœnas æternas nunquam infligit filiis propter peccata patrum. 3. Pœnas temporales etiam piis filiis immittit, propter peccata patrum: quia illos justè potest punire, non quidem innocentes, sed tamen hujus vel illius peccati non conscius vel correos, potest inquam punire pœnâ castigationis & exempli. 4. Multas pœnas temporales Deus infligit toti universitati, quæ sæpenumero est rea ob paucos. Itaque quicumque ad illam universitatem pertinent, justè puniuntur. 5. Deus visitat iniquitatem patrum in filiis, vel eandem numero, vel eandem specie. Prius facit, quando occasionem sumit ex peccato patris, ut puniat filium ob peccatum suum. Posterius facit, quando pater filiusq; eodem peccato sese obstringunt. 6. Deus interdum punit filios negativè, non verò positivè ob peccata parentum. Quod autem attinet ad primogenita Ægypti, Deus promiscuè illis irrogat pœnam, quia Pharaon afflixerat primogenitum Dei, hoc est, **I**saacem.

C A P U T

C A P U T X I I.

1. **J**udæi habent annum solarem æquinoctialem geminum, ecclesiasticum seu sacrum, & politicum seu civilem: utrumq; ex instituto Dei. Ecclesiasticus incidebat æquinoctio verno, & hoc loco sancitur: Politicus incidebat æquinoctio autumnali. Ex his duabus anni formis prior cum natali mundi convenit: quia in universo statu hieratico Mosis, sacra erant præstantiora profanis. Jam verò si annus politicus congruit cum natali mundi, utique in hoc tertio, ut ajunt, ipsum antecellit.

2. Prædicationes, seu enuntiationes, in scripturâ, sunt simplices vel conjunctæ. Nam quædam enuntiantur in sensu uno & simplici: quædam in sensu composito. Duplex itaque interpretationis genus adhiberi oportet; simplex in simplicibus, & conjunctum in conjunctis enuntiationibus, putà quæ ex typo & veritate typi constant. Simplex locorum interpretatio aut propria est, ut, *Moses pascebat oves Jethronis*; vel figurata, eaque vel promiscua, ut, *Deus constituit Mosen Pharaoni Deum*, vel sacramentalis, ut, *Agnus est pascha vers. 11. hujus cap.* (hanc enim sententiam requirit pronomen אֱלֹהִים.) *Immolate pascha, vers. 21: Ritus ille est sacrificium pascha, vers. 27.* In quibus prædicationibus semper est attributio signati de signo: nititur autem ista talis prædicatio unione sacramentali, quæ rursus nititur voluntate Dei instituentis, quantum ad thesin, & voluntate hominis credentis Deo, quantum ad hypothesin. Conjuncta seu composita interpretatio respicit primò rem significantem seu typum, deinde, rem typo significatam. Nam quæcunq; promissiones & observationes de Christo, ecclesiâ Catholicâ, beneficiis Christi, nostrisque officiis, præfiguratae sunt in V. T. eæ sic olim fuerunt in rebus, quatenus res fuerunt & simul signa fuerunt: in Christo autem & ecclesiâ etiam fuerunt impletæ. Ita hoc loco Pascha constat ex rebus externis, & internâ earum veritate, ut docet

Apostolus *I. Cor. 5.* Sed, inquiunt, altum silentium hæc de re in V. T. itaq; proculdubio Judæi hoc habuerunt ex traditione. & Ceremoniæ V. T. considerantur quantum ad theoriam & praxin. Theoria est in historiâ & allegoriâ. Historiam Moses explicitè tradidit: allegoria implicitè est in promissione Messia: explicitè autem fuit in praxi, quæ utique non fuit administrata sine uberiori expositione.

3. Phrases sacramentales V. & N. T. habent aliquid commune & proprium. Commune est, quòd utrobiq; est analogia signi & signati. Proprium est, quòd sacramenta V. T. & sacramenta fuerunt & typi, ut hoc in loco Pascha: at verò sacramenta N. T. sunt tantum sacramenta.

4. Quintuplex est temporum observatio. 1. Naturalis, ut medicorum & agricolarum. 2. Politica, ut mercatum, litium. 3. Divina, ut pascha. 4. Ecclesiastica, ut encœnia. 5. Superstitiosa, ut sunt festa Apostolorum & similia, de quibus Durandus scribit plus quàm 500 festorum & sanctorum in Calendario occurrere. Festa divina nituntur autoritate Dei, & proinde sunt pars cultus Dei, qualia in V. T. inter alia erant tria festa anniversaria magna, videlicet pascha, pentecoste & scenopegia. In quibus tria Dei dona præcipua, quæ in rem publicam conferri possunt, commemorabantur: videlicet libertas, lex, & protectio sive sustentatio. Nam in paschâ recolebant memoriam liberationis ex Ægypto (cujus scriptura meminit quinquages) in pentecoste memoriam latæ legis, in scenopegiis memoriam protectionis & sustentationis patrum in deserto. Unde patet hæc festa in solidum esse abrogata. Festa ecclesiastica in V. T. erant duo imprimis, festum Purim, institutum à Mardocheo, & encœnia, instituta à Judâ Maccabeo. Hæc festa non nitebantur autoritate Dei, ac proinde non erant pars aliqua cultus Dei, sed erant pars politiæ ecclesiasticæ, adeoque obligabant conscientiam, ratione ordinis, quem in ecclesiâ servari est necesse, & ratione

tione

gione scandali, quod ex neglectu istius ordinis fuisset ortum. Itaque ecclesia N. T. in simili casu potest instituere festa pauca in honorem Dei, ratione ordinis, non verò ratione mysterii.

5. In paschate consideretur institutio, significatio, & sanctio. Institutio respicit agnum & communicantes. In agno spectantur electio, jugulatio, asperio sanguinis, & manducatio. In communicantibus attenditur præparatio; & tum, qui & quomodo debuerint communicare. Significatio est ratione præteriti, præsentis, & futuri. Ratione præteriti: quia pascha erat memoriale & sacrificium eucharisticum. Ratione præsentis; quia erat tessera filiorum Dei, & sigillum justitiæ fidei. Ratione futuri; quantum ad Christianos omnes & Christum, hoc modo. Agnus purus figurabat Christi puritatem; jugulatio figurabat mortem Christi. Sanguis postibus illitus adumbrabat sanguinem Christi redimentis & obfignantis ecclesiam & cor cujusque credentis. Esus agni adumbrabat communionem nostram cum Christo, illiusque usum. Panes azymi significabant sinceritatem doctrinæ & vitæ, nominatim doctrinæ evangelicæ de gratuitâ justificatione, cui non debet admisceri justitia propria. Herbæ amaræ significant crucem, condimentum illud Christianismi. Tostus comedebatur, non elixus: quia Christus tostus est igne iræ Dei & igne charitatis, & sicut tostis cibariis non adhibentur alia, ut in elixis fieri consuevit: ita solum Christum debemus apprehendere fide. Porro agnus edebatur totus, tum ut perfectissima nostra cõmunio cum Christo adumbraretur, tum ut omnis via superstitioni præcluderetur in asservatione reliquiarum. Dispositio communicantium erat, quòd agnum jugulabant inter duas vespas, & comedebant accincti lumbis, calceati, nixi baculo, & festinabundi. Ita significabatur vitam nostram esse meram vesperam, item oportere nos esse violentos & rapere regnum cœlorum, accinctos ad opus Domini, pedibus instructos prædicatione evangelii

pacis, baculo virtutis divinæ fultos, denique **A D H O C U N U M** intentos. Alienigenæ excluduntur, ut soli fideles intelligantur habere communionem cum Christo, contrâ quàm Lutherani ineptiunt. Modus communicantium superest, & quidem in his quinque; ut agnus comedatur in unâ domo, ut os ei non frangatur, ut tota congregatio Israël celebret pascha, ut profelytus circumcidatur prius, & postea eadem lege atque jure teneatur, quo Judæus. Primum & tertium adumbrant unitatem ecclesiæ in Christo & credentium inter sese. Secundum respicit in Christum. Quartum & Quintum figurant vocationem gentium. Superest sanctio paschæ & illa quidem horribilis, quæ nititur autoritate Dei & æquitate rei. Nam quia observatio illa tum ad recordationem præteritæ liberationis, tum ad professionem fidei de Christo redemptore & mysterio toto futuræ liberationis pertinebat: certè quisquis ab obsequio hujus mandati discedebat, non obscure toti professioni, tum liberationis antecedentis ex Ægypto, tum spiritualis nostræ in Christo, renuntiabat. Non itaque mirum est, quòd universalis renuntiatio in rem & signum illius, fuit capitalis. Atque hinc non obscure aliquis colligat, Christum, qui ne unum quidem apicem legis transgressus est, pascha non anticipasse, sed illâ nocte comedisse, quâ institutum fuit primitus, adeoque typum implevisse.

C A P U T XIII.

I. **O**blatio primogenitorum habet usum historicum, ethicum, & mysticum: Ille est in recordatione conservationis primogenitorum, iste in testificatione gratitudinis, quâ Deo optimo optima offerebantur, idque ad conservationem ministerii, rei utique optimæ: hic est in consecratione; quâ totus populus consecratur in primogenitis, idque propter Christum, caput primogenitorum.

2. Dei

2. Dei voluntas, ut ait Tertullianus, est summa necessitas & causa ordinis, tum naturæ, tum gratiæ; id evidens est in circumductione illâ, quâ Israëlitas voluit 40 annis palare in deserto. Voluit enim hoc modo illustrare gloriam sapientiæ, patientiæ, & potentiæ suæ; & infirmitatem Israëlitarum ostendere, & denique imaginem ecclesiæ, in mundi hujus deserto peregrinantis, veluti pingere.

3. Moses secum exportat & portat ossa Josephi, non ad cultum aut superstitionem, sed ut tardæ rudis plebis fidem hoc monumento alat.

4. Columna nubis & ignis omnigenam Dei providentiam notat, ratione directionis, protectionis, & refectiois. Quibusdam hæ duæ columnæ figurant testamenta: quibusdam verò duas in Christo naturas. Et hæc quidem satis appositè dicuntur, sed ridiculum est illud Lutheranorum, quòd corpus Christi in pane lateat, quemadmodum Deus fuit in hiscè columnis. Nam à speciali Dei præsentia, ad fictitiam corporis Christi existentiam, non valet argumentum.

C A P U T X I V.

1. **I**srælitas constitutos in loco incommodissimo (nam à tergo erant copiæ Pharaonis, à fronte mare, à dextrâ montes inaccessi, à sinistrâ munitiones) Deus *ἀπὸ μετὰ τῶν* servat; idque semper fecit, facit, facietque, juxta maximam Philonis: *Ubi humanum deficit consilium, ibi divinum incipit auxilium.*

2. Deus jubet Mosen baculo diffindere mare, ut ministro suo auctoritatem conciliet, ac simul virtutem suam tantò magis reddat conspicuam per media vilia.

3. Moses ducit populum per mare, non quia fluxum & refluxum observabat (is enim nullus est in hoc mari; & verò, si maximè esset, tamen non posset fieri plenilunio, quo hæc gesta sunt) sed quia Deus consistentiam

aquis imperavit, non mutando naturam, sed inhibendo operationem naturæ.

4. Nubes erat tenebrosa Ægyptiis, lucida Israëlitis, ob vastitatem molis.

5. Israëlitæ fecerunt semicirculum transeundo mare rubrum, ut constat ex *Num.* 33. 6. Ubi post transitum maris rubri ponitur desertum Ethan, in quo antequam transiissent mare, ipsos fuisse constat, ex *cap. super. v. 20.*

6. Mare rubrum sic dictum est, quia Græci illud vocarunt ἐρυθρὸν ab ἐρύθρω Rege, id est, ab Esau seu E-dom, qui usurpavit dominium istius maris. Hinc Latini, ex ignorantia, nomen ἐρυθρὸς acceperunt pro appellativo, cum esset nomen proprium. Hebræi appellant, אֲדֹמִים id est, mare carectosum sive algozum; quia multâ carice littora abundant, vulgò appellatur sinus Arabicus.

7. Transitus per mare rubrum est typus baptismi nostri: quia ut Israëlitæ per aquas servati fuerunt mirabiliter ad vitam naturalem: Ita qui baptizantur per baptismum, servantur sacramentaliter ad vitam spiritualem. Rursus, ut Pharaon cum suo apparatu bellico submersus est aquis: Ita vetus Adam aquâ baptismi obruitur sacramentaliter.

C A P U T X V.

1. **V**Eteres ex curribus pugnabant; ideo Moses prædicat tanquam singulare Dei beneficium, quod currus Pharaonis confregerit.

2. Deus appellatur *vir belli*; quia, ut vir uxorem habet subditam, sic belli eventus ex Deo pendent.

3. Dexterâ Dei in scripturis est partim ipsius potentia, quam exerit in beneficiis & judiciis; partim honor & gloria Dei, quo sensu Christus collocatus est ad dextram patris, non quòd humana natura sit exæquata divinæ, sed quia Christus, ut mediator summum jam obtinet ἀξίωμα.

4. Musi-

4. Musica est naturalis vel artificialis, vocalis vel instrumentalis. Est autem ex fine & modo suo vel pia & religiosa, vel politica & civilis, vel obscœna & fescennina, vel denique superstitiosa. De poësi & choreâ idem est iudicium.

5. Maria dicitur prophetissa: tum quia Deus se ipsi ostendit *Num. 12.* tum quia laudavit Deum publicè, non autem prædicavit verbum ejus.

6. Lignum injectum in aquas & concilians ipsis dulcorem est symbolum crucis Christi, quæ est jugum suave *Matth. 11.*

7. Deus proposuit populo suo quædam rudimenta legis, ut eum paulatim assuefaceret ad ferendum jugum legis.

C A P U T X V I.

1. **M**urmur adversus Deum est insimulatio insipientiæ & injustitiæ, vel impotentia; idque ex infirmitate vel malitiâ, idque vel corde tantum, vel corde & ore simul. Hujusmodi fuerunt novem murmurationes populi Israël.

2. Tentatio est divina, diabolica, vel humana. Divina semper est bona; eaque tum activa, tum permissiva: utraque est fidelium vel infidelium, prosperitatis vel afflictionis. Fideles tentat igne probationis; infideles igne consumptionis. Tentatio diabolica semper est mala & ventilat pios, evertit impios. Tentatio humana est, quæ homo tentat Deum, vel seipsum, vel alium hominem. Prima semper est mala: secunda nunc bona est, nunc mala: tertia plerunque mala.

3. Panis in scripturâ est corporalis vel spiritualis. Panis corporalis est verus vel imitatitius. Panis verus est ordinarius vel extraordinarius. Panis ordinarius est cibarius, qui ex farinâ & aquâ ita pinfitur ut sit alimentum præcipuum. Panis extraordinarius fuit vel typicus tantum, ut panes propositionis; vel typicus & cœlestis

simul, ut Manna; vel sacramentalis, ut panis in eucharistiâ. Panis imitativus est, qui speciem panis habet, ut libum, hostiola &c. Panis spiritualis est Christus, qui figurari debet per panem verè cibarium. Porro panis Dei, angelorum, vitæ, & panis sanctus, aut de Christo usurpantur spiritualiter, aut de mannâ materialiter, aut de pane eucharistiæ sacramentaliter.

4. Manna est corporale vel mysticum. Corporale vel est ordinarium, ut manna Syriacum, Germanicum, Polonicum, Calabricum, & manna rusticorum: vel extraordinarium seu miraculosum, quod hoc loco & *Num. 11.* describitur. Appellatur autem manna, quia primo aspectu Israëlitæ dicebant מַן יִדְּ. Et hoc occasionem dedit nominis, non autem significationem propriam ostendit: quia man propriè est donum; ita ut man sit panis non naturâ productus, vel industriâ humanâ comparatus, sed à Deo singulariter datus. Figura ejus erat rotunda, & minuta, ut coriandri, color albus, ut margaritæ; sapor mixtus ex sapore panis, olei, & mellis. Manna mysticum est partim Christus *Joh. 6.* partim gaudium vitæ æternæ, *Apocal. 2.* Porro Israëlitæ fideles spectarunt non tantùm usum mannæ œconomicum, sed & mysticum crediderunt, quia licet typus ejus non sit scripto consignatus, tamen in concionibus fuit explicatus, ut Christus *Joh. 6.* & Apostolus *1. Cor. 10.* docent.

5. Asservatio mannæ non probat asservationem eucharistiæ, quia prius illud fiebat mandato divino, ne sabbatum profanaretur: hoc posterius fit ex purâ putâ superstitione.

6. Israëlitarum alii plus, alii minus accipiebant de de mannâ, secundum proportionem arithmeticam: sed non secundum proportionem geometricam: quia pro singulis domesticis unusquisque accipiebat gomerem unum, id est, chœnicem, quantum ordinariè homini in diem sufficit.

C A P U T

C A P U T X V I I.

1. **P**etra percussa & fundens aquas, fuit sacramentum Christi, qui nobis est præsidium firmissimum & refrigerium præsentissimum, interprete Apostolo 1. *Cor.* 10. ubi dicit, Israëlitæ bibisse ex spiritali petrâ, simul iter faciente. Dicitur autem petra spiritalis sacramentali ratione, quia nempe significabat spiritualementem petram Jesum Christum. Dicitur eadem simul iter fecisse unâ cum Israëlitæ, non quòd vel sequeretur vel comitaretur, sed quia Christus per petram illam significatus, illorum fuit dux & comes, antea mbulo, & pedissequus, ut ita dicamus.

2. Elevatio manuum in precibus ad Deum eatenus probatur, quatenus est symbolum subjectionis & fiducia. Absq; hoc sit sit, & ritus erit vel hypocriticus vel superstitiosus. Levatio autem manuum Moysi hic commendatur non tanquam opus operatum, sed tanquam signum partim morale, partim typicum seu ceremoniale. Ibi significatur, quòd debeamus indefinenter orare: hîc, quòd Christus sit lapis, qui sustentet ardorem precatationis.

3. Altare hoc in loco non appellatur Jehova, ut nugantur Rabbini, sed hic est sensus: Moses altare appellavit Jehova VEXILLUM MEUM, ita ut particula *est* sit supplenda.

C A P U T X V I I I.

1. **N**ovæ politiæ rudimentum instituit Moses ex consilio Jethronis soceri sui, & autoritate Dei, ut patet ex *Deut.* 1.

2. Judices debent esse tribus dotibus insignes: timore Dei, qui caput est sapientiæ; veritate, quæ judiciorum est regula; & odio lucri, quod certissimum est adversus corruptelas veritatis amuletum.

C A P U T X I X.

1. **D**eus dicit, *se aquilarum alis portasse populum*, ut celsitatem, vim, & amplitudinem beneficiorum suorum ponat ob oculos.

2. Promissio gratiæ Dei habet connexam conditionem fidei, obedientiæ & perseverantiæ, non quòd sit hæc conditio in nostrâ potestate, vel sit promissionis causa, sed quia est conditio fœderis gratiæ, subordinata conditioni fidei.

3. Jubentur Israëlitiæ lavare vestes, ut mundities cordis significetur. Idem prohibentur appropinquare uxoribus, non quòd conjugium, ordinatio Dei, improbetur, sed quia impuritas legalis huic actui inerat, *Levit. 15.*

4. Patefactio Dei in promulgatione legis fuit terribilis, partim ut reverentia doctrinæ legis conciliaretur, partim ut natura & officium legis tonantis juxta & incendientis significaretur.

5. Quòd Moses & Aaron soli jubentur in montem ascendere in eo adumbratur Christus. Moses enim regis, Aaron sacerdotis gerit officium. Christus autem rex & sacerdos, qui solus accepit potestatem accedendi ad Deum, alii verò propter ipsum.

6. Lex est data quinquagesimo, post exitum, die, unde hic dies dicitur pentecoste: data autem est per ministerium angelorum: quia tuba, cujus in hoc capite fit mentio, fuit, non Dei, sed angeli clangentis, confer *Actor. 7. &*

Gal. 2.

H A R.



HARMONIA LEGUM MOSAICARUM.

CAPUT I.

Introductio in Harmoniam Mosaicam.

Harmonia sacrarum literarum alia est interna, alia externa.

Harmonia interna est divina & admirabilis consensio, quâ sententiæ & libri sacrarum literarum ita conspirant, ut nec in singulis nec in universis sit vel minima discrepantia, unde hæc harmonia est totalis, vel partialis, utraq̃ue est à Deo.

Harmonia externa est opus hominis, qui scripturas inter se confert. Estque vel conciliatio vel reductio.

Conciliatio est harmonia, quæ scripturas in specie pugnantes non pugnare demonstrat.

Reductio est harmonia, quæ sententias sacras ejusdem argumenti, hinc inde dispersas, ad certos revocat titulos.

Ea est imprimis triplex; Prima legum Mosaicarum inde ab *Exod. cap. 19.* usque ad *31. cap. Deuter.* secunda, historiæ regum & chronicorum: tertia, quatuor Evangelistarum.

Harmonia legum Mosaicarum expendit numerum, & modum reductionis istarum legum.

Numerus legum est sexcentum tredecim; è quibus sunt trecentæ sexaginta quinque prohibentes, quot sunt dies anni solaris. Ducentæ quadragintæ octo affirmantes, quot apud Rabbinos sunt membra corporis humani.

Modus reductionis harum legum, perficitur usitatâ

illâ trichotomiâ, quâ leges Mosis dividuntur in morales, forenses, & ceremoniales.

Leges morales seu ethicæ sunt primariæ vel subsidariæ: illæ sunt numero decem in decalogo: hæ sunt, quæ singulis istis inserviunt, ac proinde in decem classes subdividuntur.

Leges forenses seu politicæ sunt appendices decalogi, ideoque & ipsæ in decem classes subdividuntur, & constituunt jurisprudentiam Mosaicam.

Leges ceremoniales, seu hieraticæ, aliâs ecclesiasticæ, sunt de sacris locis, temporibus, rebus, & personis, & constituunt magnam partem theologiæ typicæ.

C A P U T I I.

De principiis & affectionibus legum Mosaicarum.

Leges Mosaicæ considerantur in genere & in specie. In genere attenditur ipsarum habitudo in principiis seu primogeniâ & affectionibus. Principia sunt arcescenda ab autoritate Dei, æquitate rei, & ingenio populi. Autoritas Dei includit jus creationis, quod Deus allegat quoties ait: **E G O J E H O V A & E G O D E U S T u u s**, & jus redemptionis, id est, liberationis specialis ex Ægypto, quod Deus allegat, quoties ait: *Ego eduxi te ex Ægypto, ex fornace ferreâ.*

Æquitas rei est partim naturalis, quæ complectitur principia naturaliter omnibus cognita, quæ in ipsâ lege morali tanquam throno refulgent: partim civilis, id est, conditio politicæ seu reipublicæ, cui attemperatæ sunt istæ leges: partim ecclesiastica, id est, conditio politicæ, quæ typus fuit regni Christi. Atque hæc Deus allegat, quoties dicit, *præcepta sua esse propinqua isti populo, & quidem populo suo.* Atque hinc est, quòd aliæ leges sint immutabiles, aliæ mutabiles, & certi temporis. Ingenium populi Judaici fuit præfractum, intractabile, irrecon-

irrecon-

irreconciliabile, impatiens, contumax, & pronum ad rebellionem adversus Deum, legem, & magistratum suum. Itaque onerosa juxta & operosa legum multitudine & pædagogia debuit hoc ingenium in officio contineri.

Affectiones legum Mosaitarum, sunt in scripture & compositione, perfectione & sanctione, observatione & asservatione.

Scriptio est partim immediata, quâ Deus duas tabulas ipse exaravit, partim mediata, quâ Moses functus est munere amanuensis. A solo itaque Deo pendet ἀξιωματικὴ scripturæ; & inscriptio legis in tabulis lapideis graphicè depingit lapideum hominis cor.

Compositio legum est legalis vel evangelica.

Compositio legalis, quòd plurimæ leges sint mixti juris. Nam una eademque lex sæpe est 1. moralis, forensis, & ceremonialis simul, ut illa de sabbato. 2. moralis & forensis simul, ut illa de tectis domorum planis. 3. ceremonialis & forensis simul, ut lex de primogenitis. 4. ceremonialis & moralis simul, ut lex de ceremoniis seu ordine & decoro ecclesiastico.

Compositio evangelica est, quòd lex moralis subordinatur evangelio, & lex ceremonialis in profundo est evangelium, in superficie lex.

Perfectio legum est, quòd illis nihil fuit addendum vel demendum. Erant enim norma divinitus præscripta, quam etiam ipsimet ethnicorum legislatores sibi proposuerunt in plurimis ferendis legibus.

Sanctio est partim in promissionibus & comminationibus, quarum compendium & speculum est *Lev. 26.* & *Deut. 28.* partim in ceremoniâ, quâ Moses sanguine asperxit librum legis & universum populum dicens, *Hic est sanguis fœderis seu testamenti, Exod. 24.* Quo quidem ritu reatus hominis peccatoris & liberatio hominis credentis per Christum fuit figurata.

Observatio legum est, quòd Judæi jussi sunt illas repetendo inculcare filiis & ligare in manibus atque fron-

tibus, & scribere in postibus & portis domorum & in lapidibus terræ Canaan, denique cordi suo imprimere. Voluit nempe Deus brachialia & frontalia ex legis præceptis confici, ut hunc ornatum opponeret aureis monilibus: & voluit postibus & portis inscribi, ut quisque admoneretur suam domum esse sacram Domino: & voluit scribi in lapidibus terræ Canaan, ut scirent, quicumque illuc ingrederentur, quasi sacrarium esse doctrinæ cœlestis. Hæc autem omnia simul voluit, ne unquam per incuriam populi obscura & incerta legis cognitio esset, sed in sublimi semper conspiceretur ipsius summa: denique voluit in corde recondi, ut sanctimonix pars in externâ ostentatione non collocaretur, quod Christus objicit Pharisæis, phylacteria sua dilatantibus.

Asservatio legis fuit publica & privata.

Publica iterum duplex. Nam & in arcâ fœderis fuit asservatum exemplar autographum, & rex inde transcripsit apographum, quod sibi proponeret normam regiminis. Privata fuit, quòd singuli habuerunt exemplaria in singulis familiis.

C A P U T I I I.

De Decalogo.

DEcalogus sunt decem verba, sanctitatem communem imperantia.

In decalogo spectatur scriptura singularis & analysis.

Scriptura singularis iterum est in modo scriptionis & causâ istius modi.

Modus scriptionis est planè insolens. Cùm enim à naturâ sit, ut unaquæque vox nonnisi unum habeat accentum grammaticum, sæpenumerò fit, ut in decalogo una vox habeat duos vel tres accentus grammaticos.

Causa istius insolentix est, ut significetur præstantia legis hujus & simul nostrum officium in illâ studiosè legendâ.

Analy-

Analysis est in interpretatione & partitione Decalogi.

Interpretationis norma est, ut singula præcepta interpretemur integrè. Integritas autem ista est partim in subjecto, partim in objecto. Ibi requiritur obedientia integra ratione totius hominis, adeoque interna & externa, in intellectu, affectu, & effectu: hinc requiritur obedientia omnium officiorum, antecedentium, inquam, connexorum, & consequentium.

Partitio Decalogi est communis & singularis; Communis est, quòd Decalogus continetur præfatione (quæ habet rationem moralem & typicam) & duabus tabulis, primâ & secundâ, sive mandato primo & secundo, ut Christus loquitur, *Matth. 22.* Duo autem ista mandata sunt similia non ratione gradus seu copulæ. Nam alioqui tabula secunda cedit primæ.

Partitio singularis est, quòd tabula prima præcipit pietatem quantum ad personam Dei sive substantiam, & fundamentum cultus, & quantum ad media cultus. Hæc autem partitio non debet peti à Setumâ, id est, à signo Masoretico, sed à subjectâ materiâ, & à Sylluk.

Substantiam cultus Dei determinat præceptum primum, ne aliquid præter Deum pro Deo habeamus, sed ut solum Deum colamus, & quidem solum in spiritu & veritate.

Modum cultus determinant reliqua tria præcepta. Secundum quantum ad media externa; tertium, quantum ad professionem privatam; quartum, quantum ad professionem solennem.

Tabula secunda præcipit justitiam, quantum ad voluntatis assensum vel motum, qui voluntatis assensum præcedit: ubi diligentissimè tenendum est illud Senecæ, Ut scias quemadmodum incipiant affectus ut crescant, aut efferantur, est primus motus non voluntatis, quasi præparatio affectus, & quædam commutatio: alter cum voluntate non contumaci; tertius motus jam est impotens qui rationem evicit. Primum illum animi ictum effugere ratione non possumus, tamen assiduâ

observatione extenuare possumus. Alter ille motus qui iudicio nascitur, iudicio tollitur, ita & tertius. Hæc Seneca elegantissimè, quæ ad oculum ostendunt, quid intersit inter decimum præceptum, & ea quæ antecedunt, hoc nempe: Peccatum originale est habitus innatus in nobis. Concupiscentia est primus motus seu actus ex eo habitu proficiscens. Spectatur autem ista concupiscentia, ut omnis perturbatio, secundum tres gradus. Primus motus est confusus. Secundus est voluntatis pendentis. Tertius est voluntatis inclinantis. Primum motum prohibet Deus in decimo præcepto; reliquos duos in antecedentibus, hoc modo. Officia justitiæ specialia præscribit præceptum quintum, communia reliqua quinque, & hæc spectant proximi personam, præcepto sexto; vel adjuncta: & hæc iterum vel præcipua, præcepto septimo; vel minùs præcipua octavo & nono. Itaque decimum prohibet creaturæ rationalis impuritatem, quæ omnem voluntatis consensum regit. *Confer Rom. 7. Jacob. 1.*

Jam tollamus difficultates ad septem præcepta.

1. Dii alieni sunt qui Deo vero vel opponuntur vel subordinantur, nulla enim hîc debet esse subordinatio: quia solus Deus est unicus, ut in essentiâ suâ, ita in notitiâ & cultu nostro.

2. Imago religionis causâ ab homine facta pugnat cum hoc præcepto. Quod autem Moses dicit aquas esse sub terris, id non de naturâ rei, sed de sensu vulgi est accipiendum. Denique sanctio hujus præcepti, etsi est generalis, & ad omnia præcepta suo modo pertinet, tamen speciatim accommodatur à Deo ad hoc præceptum, quia Deus in federe suo conjugium inicit cum Ecclesiâ, & proinde ardet zelo, qui est consortis impatiens, adeoque ferre non potest idololatriam, spirituales illam scortationem.

3. Nomen Dei est omne illud, quod de Deo in Scripturis est revelatum, inque notitiam & cultum ejus vergit.

4. Finis quarti præcepti est universalis vel specialis.

Univer-

Universalis est vel primarius, videlicet memoria quietis, quâ Deus cessavit ab opere creationis, itemque spiritualis & cœlestis sabbatismi figuratio: vel secundarius, refocillatio hominis & jumentorum. Specialis est partim ceremonialis Israëlitarum sanctificatio, partim sabbatismi Christi in sepulchro adumbratio. Speciales fines exspirarunt. Ex universalibus omnes adhuc durant, nisi quòd primus est commutatus & translatus à die septimo in primum, ob memoriam novæ creationis, quæ facta est per Christum resurgentem.

5. Parentes prolongant vitam liberorum partim ritè illos instituendo, partim concipiendo preces pro ipsorum incolumitate. Deinde hoc præceptum est primum quod habet promissionem ad *Ephes. 6.* & hæc promissio est præparatio seu causa impulsiva ad totam reliquæ legis obedientiam. Stante siquidem honore superioribus debito, mandata reliqua totius decalogi manent in viridi observantiâ.

6. Christus *Matth. 19.* quintum præceptum postponit sexto & reliquis, & Paulus ad *Rom. 13.* sextam postponit septimo, quia non recitant sed citant hæc præcepta; & quidem citant materialiter tantum.

7. Concupiscentia una & eadem specie prohibetur uno præcepto: quæ causa est quòd Moses utitur trajectione duarum istarum clausularum, non concupisces domum, non concupisces uxorem. Et *Exod. 20.* utitur unicâ voce Chamath. *Deut. 5.* duabus synonymis.

C A P U T I V.

*De reductione omnium legum moralium ad
singula decalogi præcepta.*

AD primum præceptum pertinent leges de fide, spe, & charitate erga Deum. De fide, ut quòd Deus sit unus Jehova, quòd sit Elohim, id est, trinus, quòd sit daturus prophetam Christum *Deut. 18.* quodque sit honorandus fiducia, adoratione cordis, & patientiâ. De

spe triplici, putà veniæ, gratiæ, & gloriæ. De charitatè erga Deum, ut quòd sit amandus toto corde; timendus timore filiali, cordis, & operis: itemque honorandus humilitate, precatatione mentali & vitali, itemque voto. Huc etiam pertinent interdicta de idololatriâ internâ & subtili, eaque speculativâ vel practicâ, quâ fit ut homo ex bonis vel malis animi, corporis, & fortunæ, faciat sibi Deos. Item de non tentando Deum, deque vitandis pseudo-prophetis, magiâ item divinatrice & operatrice.

Ad secundum præceptum pertinent leges de externâ & crassâ idololatriâ, quæ fit vel repræsentatione, vel veneratione Dei in imaginibus: itemque omnes leges de *ἔθελοςθησκεία*, cui opponitur *θησκεία*, religio externa, quam Deus circumsepsit legibus de loco sacro, de jeuniis, & omnino de ceremoniis sibi placentibus, ita ut solus cultus ceremonialis ad hoc præceptum pertineat, excepto tempore sacro.

Ad tertium præceptum pertinent leges de precatatione & gratiarum actione vocali, de juramento necessario & temerario, de voto nuncupativo, de sortibus divinis, politicis, & manticis, de blasphemiâ directâ & indirectâ, mediatâ & immediatâ, consultâ & inconsultâ; denique de sanctificatione cibi, potus, & reliquorum bonorum hujus vitæ.

Ad quartum præceptum pertinent leges de sanctificatione sabbati internâ & externâ.

Ad præceptum quintum pertinent leges de honorandis & timendis parentibus; de coercendis liberis rebellibus; de non maledicendo principibus & iudicibus; deque honorandis senibus.

Ad præceptum sextum pertinent leges de non odio habendo fratre, de homicidio voluntario & involuntario, de bello, de percussione & jure talionis; de vindictâ privatâ; de non maledicendo surdis, & offendiculo non ponendo cæcis.

Ad præceptum septimum pertinent leges de scortatione, adulterio simplici & duplici, de Sodomîâ, de gradibus

dibus

dibus licitis & illicitis, adeoque de nuptiis incestis: denique de non permutando vestitum muliebrum & virilem.

Ad præceptum octavum pertinent leges de furto & rapinâ, de sacrilegio, plagio, & abigèatu, de mercede, de profopolepsiâ; de pascendo & tegendo peregrino; de non obligando os bovi trituranti; de justitiâ commutativâ quantum ad pondus & mensuram; de dominiis rerum, de non transferendis terminis; de pignore mutuo & commodato; de usurâ compensante & rodente; de reducendo pecore errante; de restitutione rei furtivæ, denique de *ἀποφαισις*.

Ad præceptum nonum pertinent leges de teste & testimonio judiciali & extrajudiciali; de judiciis; de mendacio; de restitutione honoris, deque correctione fraternâ.

Ad præceptum decimum nullæ leges referuntur, quia est solitarium. Ratio est, quia ipsius latitudo non habet sub se species in sensum incurrentes.

C A P U T V.

De reductione legum forensium ad decalogum.

LEges forenses considerantur in genere & in specie. In genere admittunt geminam divisionem; & primò quidem sunt mutabiles & temporariæ; vel immutabiles & perpetuæ. Illæ sunt quæ vel cum legibus ceremonialibus compositæ atque mixtæ sunt, ut de jure primogenituræ, de asylyis, decimis &c. vel ad politiam Mosaicam ejusque populum peculiariter sunt attemperatæ, ut de polygamiâ, de servis Hebræis, de familiarum distributione, de venditione liberorum, de libello repudii, &c. Hæ sunt quæ fundantur simpliciter, in jure naturæ vel gentium, ut de pœnâ adulterii, furti, &c. Deinde leges forenses Mosaicæ sunt Ecclesiasticæ, œconomicae, vel politicae. Ecclesiasticæ sunt de officio magi-

stratus circa res, personas, & actiones ecclesiasticas; quod est in eo, ut ordinem externum constituat, constitutum sanciat, & sancitum suâ præsentia & autoritate promoveat. Atque hinc est quòd David & Salomon constitutiones ecclesiasticas numero auxerunt. OEconomicae leges sunt de re familiari, de statu matrimoniali, deque officiis in isto statu. Politicæ leges sunt communes vel propriæ. Communes sunt civiles vel criminales. Civiles sunt de contractis, justitiâ commutativâ &c. Criminales leges sunt de pœnis scelerum pacis & belli tempore. Propriæ sunt regales, de electione regis, de qualificatione Magistratum, deque officio subditorum.

Ad Præceptum primum.

Lex 1. Capitale erat non parere sacerdoti; quia sacerdos erat typus Christi. Itaque hodie id insulse ad se trahunt Papistæ.

2. Capitalis pœna decernitur cuilibet auctori apostasiæ, i. e. defectionis à Deo; sive is sit pseudopropheta, id est, hæreticus obstinatus, seducens, & blasphemans; sive frater, id est, quilibet in sinu ecclesiæ; sive denique integra universitas, id est, respublica. Ratio legis est, Quia auctor hujusmodi apostasiæ est insanabilis, & alios insanabiles facit.

3. Capitis pœna decernitur in magos, qui vel fœdus cum diabolo habent, vel hostias humanas mactant, vel signis terrent homines.

4. Fœdera conjugalia & civilia Deus populo suo cum gentibus Cananæis inire in solidum prohibet, quia Cananæi mandato divino erant excindendi. Hinc itaque non licet colligere, fœdera de commerciis & similibus non esse licita cum infidelibus.

5. Commixtio diversorum animalium & diversorum seminum in uno agro, & diversarum materialium in unâ veste fuit prohibita; quia Deus voluit hoc signo docere sinceritatem esse colendam in religione & conversatione.

Ad Præ-

Ad Præceptum secundum.

Lex 1. Capitale erat si quis inclinaret se soli, lunæ, & diis alienis; quia Politia Mosaica non poterat constare ex fidelibus & idololatriis, datâ operâ hanc professionem factitantibus.

2. Deus jubet abolere imagines, statuas, sculptilia, picturas, templa idololatrica, altaria, excelsa, & lucos; quia ut non potest ferre idololatriam, ita nec instrumenta idololatrica. Rectè itaque fecerunt Constantinus M. Carolus M. & Imperatores Græci (quos Papistæ immeritò iconomachos vocant) quòd hanc legem veluti postliminio revocarunt.

Ad Præceptum tertium.

Lex. Blasphemix seu maledictionis Dei, sive sit immediata vel mediata, sive directâ vel indirectâ, duo statuuntur genera; unum quod ex infirmitate & impotentia proficiscitur; alterum cum homo maledicit Jehovah certâ malitiâ, & obstinatione voluntariâ omnibus rebus sacris, universali blasphemiam renuntiat. Primum genus affici jubetur poenâ arbitrariâ, secundum capitali, puta lapidatione. Quod attinet ad poenam arbitrariam, illa pro qualitate delicti erit incarcerationio, linguæ perforatio, fustigatio, &c. non verò mulcta pecuniaria.

Ad quartum Præceptum.

Lex 1. Inter regalia principis Deut. 17. primas facile tenet primatus regius quem vocant. Is autem in eo vertitur, ut princeps sit nutritius ecclesiæ, ut custos primæ tabulæ, ita nempe, ut potestate architectonicâ constituat pastores bonos, destituat malos, & restituat res ecclesiæ collapsas; idque exemplo Mosis, Davidis, Salomonis, Josaphati, Ezechix, Josix, Judæ Maccabæi &c. quorum praxis utique fundata est in lege regiâ quam diximus.

2. Dehonestatio seu violatio sabbati erat capitalis; quia sabbatum Judaicum erat sacramentum, quo ob signabatur universa sanctitas quam Judæi debebant Deo probare. Hinc observatio sabbati erat clausula

omnium præceptorum prioris tabulæ. Quapropter qui sabbatum negligebat, negligendo contemnebat sacramentum, & proinde reus erat abdicati totius cultus divini, ex quo illud profectum est, quòd omnes prophetæ passim summam impietatem circumscripserunt violatione sabbati. Quòd attinet ad violationem sabbati nostri, quæ fit per mercatus publicos, saltationes, & similia peccata, debebat illa coërceri pœnis corporalibus, juxta regulam; Ubi cessat ratio pœnarum capitalium Mosaicarum, ibi analogicè substituatur pœna corporalis, ut maneat in genere pœnæ, sicut manetur in genere delicti.

3. Decimas, oblationes, primitias, primogenita, & similia, Deus populo suo imperavit, non solum ut essent consecratio ceremonialis, quâ Judæi seipso suaque omnia Deo auctori sese debere faterentur; neque solum ut essent præfiguratio Christi, quatenus dabantur sacerdoti, qui utique fuit typus Christi, sed etiam ut essent pars stipendii sacerdotum, quod sanè illis debetur jure naturali pro officii laboribus. Hodie itaque consuetudo ista meritò retinetur, quia vix & ne vix quidem potest dari æquior & facilior ratio alendi ministros ecclesiæ, adeoque conservandi ministerium ecclesiasticum.

Ad Præceptum quintum.

Lex I. Injuria erga parentes est parricidium, percussio, & maledictio, eaque universa est capitalis jure naturæ, gentium, & divino; similiter injuria magistratui illata, quæ appellatur crimen læsæ majestatis.

2. Potestas patria est communis vel singularis. Communis est in eo, quòd parentes habent jus vitæ & necis, sed in hisce tribus consistit; in imperio paterno, correctione paternâ, & denique quòd parenti datur actio in filium rebellem. Singularis apud Judæos erat in venditione liberorum, quæ tum potuit habere locum, quia omnes Israhelitæ erant fratres, & proinde non præsumeban-

mebantur quòd tyrannicè tractaturi essent fratrum suorum liberos.

3. Lex regia *Deut.* 17. tractat de constitutione regis & jure regio. Constitutionem regis intranei probat Deus, eamque temperatam partim ex monarchiâ & aristocratiâ, partim ex successione & electione. Jus regium consistit in regalibus ecclesiasticis, de quibus paulò ante; & politicis, quorum alia sunt mitiora, ut præesse cum summâ potestate, alia duriora, ut exigere tributa. His opponuntur regalia usurpata, de quibus *1. Sam.* 8. qui textus non est contrarius illi nostro. Nam hîc Deus fert legem; ibi autem indignatur ob ingratitude populi, anticipantis suam dispositionem.

4. Qualitates Magistratum inferiorum sunt aliæ morales, ut fortitudo, timor Dei &c. de quibus diximus *Exod.* 18. aliæ civiles, ut quòd non debent esse peregrini, eunuchi, spurii, Ammonitæ & Moabitæ *Deut.* 23. Non peregrini, qui scilicet tales sunt loco & affectu. Non eunuchi, quia illi neque viri sunt, neque mulieres; & insuper sunt effœminati, & in nullo fermè honore, denique ad generationem inepti. Non spurii, quia illi non habent basin sui generis, ac proinde ad honores sunt inhabiles. Intelliguntur itaque hoc loco spurii, qui ex prostibulo sunt nati, incerto planè patre: & hi excluduntur aditu dignitatis politicæ, in decimam usque generationem; quia interea temporis infamiâ deleri potest. Denique non Ammonitæ aut Moabitæ, quia illi sunt falsi fratres, prohibentes Israëlem aditu hæreditatis. Non autem excluduntur Edomitæ & Ægyptii, quia illi erant fratres (persequentes tantùm) hi fuerunt hospites Israëlitarum.

5. Jus primogenituræ faciebat ad axioma familiæ, (quod quidem ut conservetur juregentium sancitur) & figurabat Christum qui est primogenitus ratione deitatis quantum ad æternitatem; ratione humanitatis quantum ad dona; denique ratione officii, quatenus est

caput fratrum suorum, quòd ad illum respicere & tandem aggregari oportet.

Ad praeceptum sextum.

Lex 1. Quatuor genera pœnarum fuerunt usitata in populo Dei, lapidatio, vivicomburium, decollatio, & strangulatio. Executio autem fiebat vel promiscuè à populo, vel à delectis quibusdam. Tandem etiam carnifices, quos vocant, ceperunt in populo Dei, qui non sunt infames quòd exsequantur justum judicium magistratus, sed quia ferè sordidis rebus occupantur.

2. Homicidium pœnale patratum aut ab homine, aut à pecude; si ab homine, aut est voluntarium, aut involuntarium; illud est capitale, hoc non item. & ideo Deus instituit asyla, ut in iis homicidæ involuntarii, haberent receptum & perfugium contra vindicem sanguinis propinqui extincti; quanquam & illa Christum figurabant, in quo habemus per fidem refugium contra diabolum, qui & ipse nostrum sinit sanguinem. Homicidium à pecude patratum, aut nescio aut conscio hero contigit: ibi bos cornupeta lapidatur, hic etiam Dominus.

3. Percussiones quæ membri mutilationem aut fracturam importabant, talionis lege puniebantur: quæ citra hujusmodi mutilationem, simplici compensatione. Jus talionis quod attinet, in eo spectatur rigor & æquitas: ibi qui actionem habebat injuriarum, talionis postulabat eum qui læserat, & judex, non verò læsus talionem inferebat; hinc talio vel judicum æstimatione, vel bonorum virorum arbitrio commutabatur in mulctam pecuniariam.

4. Percussio prægantis est capitalis, si fœtus sit animatus & moriatur; si verò sit inanimatus, mulcta pecuniaria decernitur.

5. A sanguinis usu Deus jubet abstinere, ut doceat nos argumentari à minori ad majus, si à ferino abstinendum est sanguine, multò magis ab humano. Sed & ceremoniale huc accessit, quia nempe longè præstantiori rei san-

rei san-

rei sanguis destinatus erat Judæis, ut esset sacramentum sanguinis Christi, expiantis reatum sanguinis.

6. Leprosi jubentur degere semoti à commercio hominum, ne inficiantur sani contagione, ubi in immunditiâ corporali proponitur typus internæ immunditiæ.

7. Judæi habebant duplicia mancipia, gentium peregrinarum & popularium suorum; & in his locum habebat manumissio; quam si servus fortè non cuperet, Dominus publico symbolo illum quasi dedititium adscriptum glebæ suæ, & mancipatum dominio suo ostendebat, aurem illius ad postem domus suæ configendo.

8. Leges de bellis huc pertinent; ut nempe neogami, timidi, & agricolæ à bellis sint immunes; ut miles sit viginti annorum; ut dux petat jus transeundi per terras fraternas, ut idem exploratores mittat; ut pacem offerat vel non offerat, ut ante conflictum habeatur precatio & concio: ut duces in primâ acie constituentur, ut arbores frugiferæ non excindantur, ut ab omni peccato militari abstineatur, ut castra munda ferventur, ut præda distribuatur proportionem geometricâ, ut Deo de spoliis offeratur, ut socios non deserant: & hæc quidem leges polemicæ apud Moysen occurrunt: quibus accesserunt deinceps illæ. Fœdera & juramenta ne violentur; exercitui de annonâ provideatur; stratagemata adhibeantur.

Ad præceptum septimum.

Lex 1. Adulterium erat capitale non tam typicâ quam civili ratione.

2. Filia sacerdotis fornicatrix vivicomburio mulcatur, quia sacerdos erat typus Christi, ac proinde debebat habere familiam irreprehensibilem.

3. Sodomia est capitalis sive sit humana, sive bestialis, sive dæmoniaca.

4. Sacerdos debuit ducere virginem non viduam aut repudiatam, ut sanctitas Christi & Ecclesiæ figuraretur.

5. Pretium meretricis non erat inferendum in san-

Etuarium. Itaque Papa nullo colore exigit pensiones ex lupanaribus.

6. Polygamia & libellus repudii non fuerunt præcepti sed permissionis divinæ.

7. Conjugium cum fratriâ fuit orbitatis solatio peculiare, V. T.

8. Desponsatio intra tribus singulas fuit sancita propter Christum ex tribu Judæ nasciturum.

9 Stuprator virginis desponsatæ verè est adulter.

10. Æquissima est illa lex, ut qui vitiavit virginem, ducat & dotet illam, si parentes consentiant.

11. gradus consanguinitatis & affinitatis in *Lev. 18.*

& 20. prohibiti sunt morales, & nituntur duplici ratione, tum ut propinquo sanguini honor habeatur, tum ut humana societas confirmetur conjugio inter disjunctiores familias. Sunt autem tres regulæ apud Mosen.

1. Nuptiæ consistere non possunt inter eas personas quæ in numero parentum vel liberorum sunt. Itaque in lineâ ascendente & descendente erit prohibitio infinita.

2. In collateralis lineâ excluduntur qui vel ab altero vel ab utroque parente sunt consanguinei: ut frater, soror, patruus, amita, avunculus, matertera, fratris vel sororis filius aut filia. 3. Eadem est ratio affinitatis quæ consanguinitatis, per omnes gradus lineæ ascendentis, descendens, & collateralis, ut ex ascendentibus vir non potest ducere novercam, ex descendentibus uxorem filii, ex collateralibus fratris uxorem. Atque hæ sunt leges Mosaicæ. Jus civile addidit quasdam leges honestatis igitur: canonicum etiam excessit modum ampliandi gradus.

Ad præceptum octavum.

Lex 1. Triplex furtum de lege Mosaicâ est capitale, plagium, sacrilegium, & furtum compositum: furtum simplex hodie etiam est capitale, ob frequentiam, quâ fit ut respublica conservari non possit si hoc genus furti non coërceatur, pœnâ capitali vel saltem corporali.

2. Usura damnatur lege Dei non absolutè, sed illa quæ

quæ exercetur in proximum egenum. Itaq; usura compensatoria & simplex sive sit nautica, sive civilis, ratione lucri cessantis & damni emergentis est maximè licita.

3. Lex commodati, locati, depositi, mutui, & inventi, nititur illâ regulâ. Qui alterius bona vitiat, fur est.

4. Deus noluit esse pauperes mendicantes in suo populo, id est, validos mendicantes.

Ad præceptum nonum.

Huc pertinent leges de judiciis ecclesiasticis & politicis, ubi nulla est difficultas, nisi in hisce tribus. 1. Res merè ecclesiasticæ ad iudicium ecclesiæ, merè politicæ ad politicum, mixtæ ad utrumque deferendæ. 2. Anathemata hominum fuerunt occidenda, pecudum & rerum inanimatarum fuerunt seponenda. 3. Iudex sententiam condemnatoriam in absolutoriam convertere non potest ex jure divino.

C A P U T V I.

*De legum ceremonialium explicatio-
ne in genere.*

Leges ceremoniales sequuntur, quarum anima est explicatio & applicatio: cujus utriusque certissima norma est epistola ad Hebræos. Ea consideratur in genere & in specie.

Explicatio ceremonialium in genere est typica & sacramentalis.

Explicatio typica est, cum propter repræsentationis certitudinem tribuitur typo quod est antitypi. Id autem fit tribus modis. (1) Quædam literaliter sunt intelligenda de typo & antitypo simul, ut non confringetis ei os, funderis sanguinem ejus &c. (2) Quædam dicuntur literaliter de typo, & figuratè de antitypo, ut combustio sacrificii. (3) Quædam figuratè de typo, & literaliter de antitypo dicuntur, ut expiatio peccati.

Explicatio sacramentalis est, in quâ propter unio-

nem sacramentalem, & obfignationis certitudinem, res signata, aut ejus proprietas tribuitur sacro signo, ut *Exod. 31.* Sabbatum est fedus Dei. *Exod. 24.* & *Levit. 1.* Sacrificia sunt expiatio peccati, & sanguis victimarum est fedus. *Exod. 34.* Operculum arcæ est propitiatorium, non materialiter, sed repræsentativè.

Explicatio in specie cernitur in sacris locis, temporibus, rebus, & personis.

C A P U T V I I.

De locis sacris.

DE locis sacris est lex communis & specialis.

Lex communis est, ut in loco quem elegerit Jehova, peragantur sacra. Itaque publicus cultus in publico ecclesiæ cœtu celebrari debet. Figurabat autem hæc lex, primò, nos Christum in cœlo tantùm adire oportere, ut Deum colamus in ipso. Deinde tandem fore, ut immediatam Dei præsentiam obtineamus in cœlo.

Lex specialis est de tabernaculo, quod erat figura: 1. Ecclesiæ Catholicæ in Christo fabrefactæ. 2. Ecclesiæ particularis, quatenus construitur per pastores. 3. Christi *Ἰεσὺ Ἰσὼπς*. 4. Uniuscujusque veri Christiani: id quod per partes ita patet. In tabernaculo sunt causæ & partes. Causæ sunt materia, forma, & efficiens. Partes sunt contentæ & continentes. Contentæ sunt varia suppellectilia, sive vasa. Continentes sunt tegumentum & tabulatum, tabernaculum in specie dictum & atrium. Rursus tabernaculum per velum distinguitur in sanctum sanctorum & sanctum. Quorum omnium explicatio mystica sic est.

1. Materia offerebatur varia, voluntaria & plenaria. Figurabat autem oblationem voluntariam, quâ quilibet talentum sibi concreditum debet offerre Deo, & simul conferre ad sustentationem ministerii, & deniq; erogare eleemosynas ad sanctos Dei tabernaculo sustentandos.

2. Forma debebat esse conformis archetypo, quod exhibi-

exhibitum erat Mofi in monte. Hinc difcimus nulla figna Deo placere in ecclefia, nifi ab ipfo fint præfcripta.

3. Cauſa efficiens erat quilibet artifex peritus, nominatim Bezaleel & Aholiab. Ibi figurantur omnes ecclefie miniſtri, qui habent ſua chariſmata, hinc autem præfigurantur excellentes illi architecti, qui habent dona heroica, ut prophetæ & alii.

4. Partes ſanctuarii ita compositæ erant, ut facile conjungi & diſjungi, adeoq; hinc inde transportari poſſent. Significabatur autem fideles in hoc tabernaculo corporis, quod deſtruendum eſt per mortem, & erigendum per reſurrectionem, peregrè abeſſe à Domino, & univerſam eccleſiam non tantum peregrinari in his terris, ſed etiam ex uno loco in alium migrare.

5. Tegumentum ſignificabat totam eccleſiam, ejuſque membra, ſub Dei protectione ſemper ſedere.

6. Tabulatum ex variis columnis compactum, in genere ſignificabat eccleſiam ratione miniſterii eſſe columnam veritatis; & in ſpecie munera; id eſt, officia & dona membrorum eccleſie debere eſſe ſuſtentacula totius corporis.

7. Suppellectilia ſacra ſignificabant omnia pretioſa dona eccleſie, ut ſunt verbum, ſacramenta, fides, ſanctitas &c.

8. Anſulæ quibus colligabantur aulæ, ſignificabant eccleſie membra diverſa in cœlis & terris, utcunq; diſperſa, eſſe unum tabernaculum.

9. Tegumentum erat duplex, internum & externum; quo ſignificabatur interior & exterior eccleſie conditio.

10. Porta glorioſa ſignificabat corda fidelium glorioſa facta per fidem, quâ Chriſtum admittimus.

11. Tabernaculum coagmentatum per commiſſuras ſuas, & ritè erectum, ſignificabat eccleſiam Chriſti, per commiſſuras ſuas, vi intus à capite agente, congruenter compactam.

12. Velum significabat carnem Christi, quæ deitatem operuit, & viam nobis ad cœlum dedicavit.
13. Velum erat refertum cherubinibus, qui figurabant angelos inservientes Christo, ecclesiæ, & cuilibet credenti.
14. Sanctum sanctorum figurabat cœlum tertium, in quod solus Christus intrat proprio merito, & nos quoque vi illius meriti.
15. Arca federis circumcirca auro tecta, figurabat Christum, in quo humana natura est *ἐνυπόστατος*, & in quo sunt reconditi omnes thesauri sapientiæ.
16. Testimonium impositum arcæ significabat Christum esse finem legis, & ab eâ testimonium habere.
17. Thuribulum aureum significabat cum suffitu spiritus, ignem passionum Christi misceri oportere ab ipso Christo altari, antequam Deo accepta esse possit nostra *λατρεία*.
18. Urna aurea habens manna juxta arcam, erat sacramentum vitæ æternæ in Christo reconditæ.
19. Virga Aaronis florens erat signum rebellionis exercitæ, & directionis paternæ, quâ fit ut sub cruce germinemus.
20. Sanctum sive tabernaculum conventus, erat via in sanctum sanctorum, & significabat ecclesiam Catholicam his in terris militantem, quæ non nisi sanctos continet.
21. Altare holocaustorum ære obductum, figurabat humanam Christi naturam, quæ à divinâ sanctificatur, ad omnia pro nobis sustinenda.
22. Altare suffitus significabat Christum pro nobis apparere coram Patre, & gratum facere cultum nostrum, ex virtute sacrificii pro peccato semel facti.
23. Mensa totidem panibus instructa, quot erant tribus Israëuitarum, significabat Deum semper in ecclesiâ habere mensam instructam, ad continuum cum Christo convivium, pro omnibus & singulis Christi fidelibus, adeo quidem, ut etiam in cœlo ante faciem suam

suam Deus nobis paret satietatem perpetuorum gaudiorum.

24. Lychnuchus ex puro auro & septem lucernis accensis à sacerdote instructus, figurabat φωτισμὸν ἔδωκεν γελίς, quo fit, ut in obscuro hujus vitæ loco habeamus lumen perenne, usq; dum phosphorus post hanc vitam in cordibus nostris exordiat.

25. Labrum destinatum aquæ, quâ se lavabant sacerdotes ministraturi tabernaculo, ne morerentur, significabat nos ad Deum colendum non posse appropinquare labiis nostris, nisi quotidie illa expiemus aquâ fidei & pœnitentiæ.

26. Atrium significabat ecclesiam visibilem, quatenus in eam hypocritæ ad Deum externè colendum admittuntur.

Hæc itaq; sunt figuralia & figurata tabernaculi, quæ non melius possunt intelligi, quàm ex ipsâ Dei interpretatione, qui *Exod. 25.* ait, Faciunto mihi sacrarium, ut habitem in medio ipsorum. nam illis verbis continetur interpretatio omnium istorum capitum ceremonialium, ut doctissimè observat Franciscus Junius in commentariis.

C A P U T V I I I.

De temporibus sacris.

DE temporibus sacris est lex communis & specialis. Lex communis est partim de rigidissimâ cessatione ab omni opere, partim de sacrificiis quæ diebus sacris erant offerenda. Prius illud figurabat requiem illam in quam Deus suo tempore nos introducet: posterius non tantùm Judæos ad luxum pronos, duro sumptuositatis jugo exercuit, sed etiam magnitudine sumptuum, magnitudinem pretii Christi omnes mundi thesauros excedentis adumbravit.

Lex specialis est de sacris diebus & annis.

Dies sacri erant quotidiani vel solennes. Et hi erant

K

partim calendæ cujusque mensis, partim sabbatum, partim festa; & hæc vel maximè solennia: ut pascha, pentecoste, seu festum septimanarum, & scenopeia seu festum tabernaculorum: vel minùs solennia, ut festum clangoris seu tubarum, & festum expiationis.

Anni sacri erant sabbaticus sive septimus, & jubilæus sive quinquagesimus. Horum explicatio est ejusmodi.

1. Juge sacrificium quotidie bis offerebatur, ut populus quotidie, manè, inquam, & vesperi de suo reatu admoneretur, itemque in recordatione & fide jugis sacrificii Christi exerceretur. Significat item cultum nostrum quotidianum, seu juge sacrificium laudis & sanctitatis, quòd nempe illud Deo per Christum sit offerendum.

2. Sacrificium, quod singulis calendis offerebatur, significabat omnes menses, illorumque actiones nobis per Christum consecrari.

3. Sabbatum erat memoriale creationis, & typus, partim sabbati Christi in sepulchro, partim sabbati nostri in Christo, quod hîc inchoatur; & post hanc vitam consummatur. Cavebatur autem speciatim, ne ignis hoc die accenderetur, quo significabatur, sabbatum Christi, & nostrum in Christo, liberum esse & fore ab igne afflictionis.

4. Festa sacra in genere erant. (1) Discretio populi Dei à gentibus. (2) Memoria beneficiorum collatorum. (3) Figura & typus beneficiorum conferendorum per Christum. (4) Nervi congressuum ministerii. (5) Conservatio puritatis in cultu divinitus præscripto.

5. Pascha mundorum celebratum in principio anni figurabat tempus, modum, & fructum passionis Christi. Pascha immundorum significabat, Christum non prodesse peccatoribus quamdiu in immunditie persistunt, ideoque figurabat pœnitentiæ tempus.

6. In festo pentecostes erat dies agitationis & oblationis frugum. Illa significabat manipulum frugum nostrarum, hoc est, fidem & bona opera non esse accepta Deo,

Deo,

Deo, nisi agitentur à Christo summo sacerdote: hinc, beneficiorum Dei læto animo recordationem esse instituendam.

7. Festum tabernaculorum, præterquam quod in memoriam revocabat peregrinationem Israëlitarum, etiam figurabat peregrinationem ecclesiæ in hoc mundo: in quâ tamen perpetua memoria de Christi morte, adeoque nostri redemptione sic colenda est, ut hoc fiat summo cum gaudio spiritus.

8. Festum clangoris significabat continuam & spirituales lætitiâ sub evangelio cum continuâ gratiarum actione resonantem.

9. Festum expiationis significabat ecclesiasticos conventus, ministros, & populum in cultu quotidiano peccantes per Christum expiari. Porro, expiatio etiam fiebat pro sancto sanctorum, & pro sancto. Illa, significabat, cælum ipsum peccatis nostris inquinari, & unius Christi sanguine expiari: hæc significabat ecclesiam Catholicam tantum ex sanguine Christi acceptam esse. Denique applicatio fiebat pro singulis personis, ut fidei vis applicativa poneretur ob oculos. Porro applicatio & expiatio ista fiebat per hircum vivum & jugulatum. Illi imponebantur defectiones filiorum Israël, & hircus ita ceremonialiter onustus in desertum emittebatur, hic destinabatur in holocaustum. Prior ceremonia significabat, filium Dei ex cælo descendisse in desertum hujus mundi, ut ibi tollat peccatum mundi, idque non succumbendo, sed vincendo: posterior adumbrabat sanguinem Christi, qui solus nos lavat ab omni peccato.

10. Sabbatismus annorum habebat usum ecclesiasticum & politicum. Nam primò adumbrabat & commendabat populo sabbatum spirituale, quod incipit ab expiatione Christi. Secundò, discernebat hanc gentem ab aliis. Tertiò, erat exercitium populi in providentiæ divinæ fiduciâ. Quartò, consulebat agrorum fertilitati, ne illi perpetuâ culturâ exhausti sterilefcerent, & male audiret terra sancta.

II. Jubilæi habebant usum ecclesiasticum, politicum, & chronologicum. Nam primò significabant jubilæum gratiæ & gloriæ, quem utrumque Christus voce suâ sit proclamaturus & reapse collaturus. Secundò, consulebant pauperibus. Tertiò, conservabant distinctionem tribuum. Quartò, distinguebant tempora, inde à divisione terræ anno mundi 2050, usq; ad excidium hujus politiæ. Quintò, figurabant unà cum sabbatismis sabbatum terræ propter judicia divina.

C A P U T I X.

De rebus sacris.

RES sacrae erant communes ut oleum; vel propriae, reaque principales vel minùs principales. Res principales erant sacrificia, quorum requisita erant tria, ignis, sal, & adeps. Genera sex, videl. holocaustum, oblatio sive munus, pacifica vel eucharistica, pro peccato ex errore, pro peccato ex proæressi, denique sacrificium consecrationis. Res minùs principales erant vel promiscuè omnium, ut primitiæ, decimæ, vota, & novalia: vel peculiares sacerdoti, ut suffitus, adolenda & non adolenda, aqua expiationis & tubæ. Horum applicatio sic est.

1. Oleum dicitur res sancta sanctorum, quia ejus usus erat in consecratione tabernaculi sacerdotum & populi. Figurabat autem oleum lætitiæ, id est, dona Spiritus sancti, quæ Christus accepit sine mensurâ, & postea per ipsum omnes ecclesiæ partes, cum pastores, tum omnes Christiani. Hi enim omnes & soli unguuntur oleo lætitiæ. Hoc autem oleum ita fiebat ex rebus pretiosissimis, & ejus confectionem non licebat imitari: ut figuraretur, reprobos non consecrari unguento filiorum Dei.

2. Ignis è cælo emissus, & continuè fovendus significabat quatuor, puta ignem fervoris Dei, quem accendunt & fovent peccata nostra. Ignem favoris Dei, quo consum-

confu
tonis
creder
rum f
facit
3.
perpet
quem
firma
mnis
4.
cedeb
select
tione
nobis
5.
malit
altare
dos et
grun
lum
6.
votum
trum
trum
7.
quid
pioner
vend
figur
8.
urus,
affi
pani.
9.
bai
gauru

consumuntur peccata nostra in Christo. Ignem operationis Spiritus sancti, tum in genere ratione omnium credentium, tum in specie ratione apostolorum, & ipsorum successorum. Et denique ignem tribulationis, qui facit ut jugiter in cœlum tendamus.

3. Sal federis, erat symbolum incorruptionis, id est, perpetuitatis in federe Dei; adeoque significabat unumquemque fidelium ita in federe Dei per fidem esse confirmatum, ut sale afflictionum præservetur adversus omnis generis tentationes & insultus.

4. Adeps sive pinguedo nec afferenti nec offerenti cedebat, sed soli Deo sacer erat: quo significabatur nos selectissima quæque Deo consecrare debere, ut hâc ratione potiamur pinguedine gratiæ & gloriæ in Christo nobis repositæ.

5. Ritus communis omnium sacrificiorum ex animalibus erat aspersio sanguinis per sacerdotem super altare; quo significatur sanguis Christi, qui est & sacerdos & altare, & victima nostra. Significantur inquam grumi sanguinis ejus, quibus asperguntur corda fidelium, quæ & ipsa sunt altare.

6. Holocaustum fuit oblatio, quâ pius obsignabat se totum dedere Christo; & firmiter credere totum Christum esse sacrificium pro peccatis suis. Denique hoc utrumque sacrificium totum consumi igni charitatis.

7. In munere non licebat offerre fermentum, aut quidvis fermentans, ut mel; quo significabatur, corruptionem doctrinæ, vitæ, & disciplinæ longissimè removendam esse, si velimus nos ipsos Deo offerre, id quod figurabat oblatio ista.

8. In eucharisticis adhibebatur etiam panis fermentatus, ut cum gratiarum actione jucundâ, recordemur afflictionum, quæ nobis id sunt quod fermentum est pani.

9. Agitatio in muneribus & eucharisticis, significabat jugem agitationem labiorum nostrorum in prece & gratiarum actione.

10. Sacrificium pro peccato erroris & infirmitatis figurabat omnia peccata nostra esse mortalia, & ab uno Christo expiari.

11. Sacrificium consecrationis ostendebat discrimen inter sacerdotem legalem & Christum, quia ille necesse habebat offerre pro peccatis suis, hic verò tantum pro peccatis populi.

Atque hæc sunt sacrificia ceremonialia, quorum alia figurant sacrificium Christi, quod est maxime morale. Itemque quodvis sacrificium morale omnium credentium. Quò pertinent omnia opera moralia ex fide profecta, nempe spiritus contritus, eleemosyna, precatio, &c. & denique oblationem illam gentium, de quâ Apostolus *Rom. 15. v. 16.* Præterea in omnibus sacrificiis non nisi munda debuerunt offerri, quo significabatur mundities Christi & ipsius membrorum. Denique oblatio columbarum significavit columbinam simplicitatem Christi, & ipsius membrorum, quæ simplicitas imprimis pendet à gratiâ Spiritus S. qui figuratur per columbam.

12. Primitiæ Deo erant sacræ, ut in iis consecratis reliqua substantia & ipsa fieret sacra. Eo figurabantur ista duo. 1. Christi sanctificationem esse sanctificationem ecclesiæ ratione crucis & lucis. 2. Liberos sanctorum sanctos esse.

13. Decimæ legales jure divino ceremoniali, erant cleri, qui hoc modo sustentabatur. Sed jure morali Deo erant sacræ, qui hoc modo volebat agnosci Dominus & dator omnium bonorum. In N. T. etsi decimæ non sunt de necessitate, tamen sunt de æquitate, quantum ad sustentationem ministerii.

14. Decimæ decimarum quas Levitæ de suis decimis offerebant summo sacerdoti, significabant prærogativam Christi, in quo nos omnes decimamur.

15. Votum ceremoniale & illius redemptio, erat pars cultus Dei, citra tamen opinionem satisfactionis & meriti. Quare frustra sunt, qui leges vororum & redem-

ptionis

ptionis votorum hodie imponunt populo, cum opinione necessitatis, satisfactionis, & meriti: alioqui vota ceremonialia placent Deo si liberè suscipiantur, tanquam adminicula & exercitia pietatis. De rebus devotis idem est iudicium.

16. Novalia erant fructus arborei, qui tribus primis annis pro præputiatis habiti, quarto anno offerebantur Jehovæ: ut significaretur omnia alimenta nostra, nobis per peccatum esse incircumcisa, circumcidi autem per fidem in Christum, comitantibus precibus & gratiarum actione.

17. Suffitus sacer, nec imitandus quoad confectionem & usum, figurabat Spiritus sancti gratiam, quæ cultus piorum sanctificatur.

18. Aqua expiationis erat figura sanguinis Christi tanquam fontis perennis, ad nos abluendum à sordibus peccatorum.

19. Combustio sacrificiorum significabat, Christum combustum divinâ maledictione propter peccata nostra; sed combustio recrementorum adumbrabat crucifixionem veteris hominis. Denique non comburenda notabant victoriam Christi & fidei nostræ.

20. Tubæ duæ argenteæ adhibebantur à sacerdote, ob causam ecclesiasticam & civilem: ibi ad congregandum & lætandum spiritualiter; hîc ad congregandum & proficiscendum. Ibi clangor fiebat sine fracto sono, hîc cum tali sono. Figurabant autem sacrorum ministrorum in peccatis coarguendis, in lætis annuntiandis; & in hominibus ad spiritualem pugnam excitandis clangorem, & vim gloriosam.

C A P U T X.

De personis sacris.

Personæ sacræ considerantur communiter vel singulariter.

Commune est, quod Deus noluit probare opus nisi

à personâ sacrâ profectum. Quo docemur opera bonâ non placere Deo, nisi proficiscantur à personâ justificatâ.

Singulariter personæ sacræ sunt vel administri sacri, vel reliqui sancti.

Administri sacrorum sunt, summus sacerdos, sacerdotes reliqui, & Levitæ. Sancti reliqui sunt Naziræi, & mundi. Videamus singula.

1. Sacerdotis erat sacrificare & orare pro populo. Ita significabatur Christum fore nostrum sacerdotem, supplicio & supplicatione.

2. Sacerdotum consecratio, & immunitas ab omni corporis nævo, significabat Christi sanctitatem habitualement & actualement.

3. Vestes sacræ & illarum apparatus magnificentissimus, significabant gloriam & ornatum Christi atque ecclesiæ, *Psal. 45.*

4. Unctio summi sacerdotis significabat gratiam unctiois Christi, quatenus ille unctus est sacerdos ecclesiæ O.M.

5. Abstinentia sancta sacerdotum significabat sanctitatem Christi actualement.

6. Summus sacerdos fuit umbra summi illius sacerdotis nostri Jesu Christi, ut Apostolus ad Hebræos luculentissime explicat. Cæteri verò sacerdotes nostram in Christo dignitatem officiumque repræsentarunt. *1. Pet. 2. Apoc. 1.* Adumbravit autem summus pontifex personam & officium Christi. Personam, quatenus fuit homo aliis hominibus similis, sed tamen illis superior officio & ornamentis, quæ ornamenta sic repræsentarunt triplex officium Christi: alia communiter triplex illud officium figurarunt, ut pallium; alia singulariter, singula hoc modo. Prophetiam adumbrabant tintinnabula pallii, & mala granata inde pendentia. Sacerdotium significavit lamina illa aurea, cui insculptum erat **SANCTITAS JEHOVÆ**. Regnum denique cidarum imposita capiti illius. Cætera ornamenta quæ erant commu-

commu-

communia summo sacerdoti cum reliquis sacerdotibus, significabant partim dona gratiæ, partim panopliam Christianam, quam Apostolus *Ephes. 6.* constituit in baltheo veritatis, tunicâ justitiæ &c.

7. Duodecim gemmæ in pectorali fuerunt typus ecclesiæ veteris & novæ, quatenus illa quidem ex XII tribubus constabat; hæc autem per XII. apostolos fuit collecta. Duæ gemmæ in superhumerali, figurabant itidem duas illas ecclesias, quatenus habet duo testamenta. Denique duæ gemmæ in rationali iudicii, putà **U R I M E T T H U M I M** fuerunt typus Christi, qui nobis est mera lux & mera perfectio.

8. Summus sacerdos erat unicus: ita Christus est unicus & perpetuus sacerdos N. T.

9. Sacerdotes soli comedebant reliquias sacrificiorum. Ita omnes Christiani qui sunt sacerdotes spirituales, habent communionem cum Christo.

10. Aaron portabat nomina filiorum Israël coram Jehovâ: Ita Christus ecclesiam ejusque membra omnia semper habet in memoriâ, & cum iis semper apparet coram Jehovâ.

11. Lumbus firmabat pallium, ne laceraretur. Ita significabatur Justitia & robur Christi, ad salutem suorum & inimicorum perditionem.

12. Cùm Aaron ingrediebatur in sanctum, tintinnabula edebant sonum; ita Christus pro nobis continuè intercedit, & spiritus ejus in nobis interpellat Deum. Secundariò etiam ita pingebatur officium pastorum frugum.

13. Summus sacerdos non nisi virginem è populis suis poterat ducere. Id figurabat ecclesiam virginem Christo sine maculâ sistendam.

14. Summus sacerdos prohibebatur lugere, aut vestimenta discindere. Ita Christus post resurrectionem consecutus est gloriam & gaudium, nullâ ignominiâ vel dolore interpellandum. (Hic actus notat statum exaltationis.) Rursus ita figurabatur spiritualis nostra justitia, quæ debet esse continua.

15. Sacerdotes & Levitæ inservientes tabernaculo, figurant hierarchiam ecclesiæ, quatenus ea admittit varios ordines & gradus.

16. Nazireatus votum erat de se Jehovæ separando, speciali sanctitate. Ita significabatur Christi puritas, & simul patria Nazareth allusione nominis.

17. Qui erant immundi vel propter cibos immundos, vel cadavera hominum, vel lepram, illi segregabantur primò, & deinde mundabantur. Eundem in modum omnia peccata, maxima, medioxuma, & minima, nos separant à Deo, & quædam etiam ab ecclesiâ, inque solo Christo expiantur.

18. Puerperæ immundæ nativam corruptionem pingebant.

19. Leprosorum segregatio erat figura excommunicationis majoris.

20. Domus & omnia instrumenta leprosum erant immunda; eoque comburebantur, vel destruebantur. Ita figurabatur officium nostrum in destruendis omnibus instrumentis idololatriæ.

21. Leprosi mundati se ostendebant sacerdoti, qui non ex non mundo faciebat mundum, sed mundum pronuntiabat, qui est typus absolutionis ecclesiasticæ.

22. Leprosus emundatus offerebat duas aviculas, quarum altera jugulabatur, altera dimittebatur libera; sic figurata fuit mors Christi, & mortis efficacia in resurrectione & ascensione.

23. Cibi immundi erant pædagogia ecclesiæ Judicæ, quæ significabat, primò, mundos & immundos in ecclesiâ, id est, credentes & hypocritas. Secundò distinctionem Judæorum à gentibus figurabat, quæ distinctio sublata est à Christo, qui gentes tanquam cibos immundos, effecit cibum Deo

gratum. Act. 10.

CAPUT

C A P U T X X.

1. **P**Leraque præcepta decalogi enuntiantur modo interditi, non verò mandati, tum quia interdicta indefinenter obligant, & non licet facere contra interdictum, sed in mandatis accidit ut aliud & non hoc sit agendum: tum quia primum opus resipiscentiæ in nobis est, ut recedamus à malo. Priorem rationem illustrat regula: *Non est semper tempus faciendi hoc aut illud bonum, sed nunquam malefaciendi tempus esse potest.*

2. Deus ferendo legem tentavit Israëlitas, ut illos adigeret ad probationem suæ infirmitatis, adeoque per legis ἀδύνατον ad Christum manduceret.

3. Deus ratione sui est mera lux: at ratione nostri habitat in caligine.

4. Multæ leges pertinentes ad rempublicam & ecclesiam Israëlitarum ambulatoriam, in ecclesiâ & republicâ fixâ planè exspirarunt: ut hoc in loco Deus requirit altare terreum vel ex lapide rudi, impolito & tumultuario, denique sine gradibus. Ratio primi est: ut eodem tempore quo pedem moturi essent, dejicerent altare illud, ne aut abufui aut superstitioni esset. Ratio secundi est, ne artificium sollicitaret aliquem ad conservationem religionemve istius altaris. Ratio tertii est: ne fortè nudarentur partes, quas nudari non deceret.

C A P U T X X I.

1. **T**Raditâ lege morali Deus varios rivos ex illâ ducit, legis inquam juris privati & publici, sacri & politici: ex quibus plures in jus civile transierunt.

2. Leges permissivæ sunt accuratè discernendæ à præceptivis.

3. Percussor & alii quidam, pronuntiantur innocentes, videlicet in foro soli, non in foro poli. Rursus pronuntiantur innocentes in sensu comparato; quatenus civiliter, non verò criminaliter erant conveniendi.

C A P U T X X I I.

1. **H**ic proponuntur leges furti, incendii, depositi, rerum amotarum, negotiorum gestorum, commodati, concubitus &c.

2. Discerpta non licebat comedere, quia hoc erat signum civilis munditiei, quæ de cavendâ peccati spurcitiæ admonebat.

C A P U T X X I I I.

1. **I**n legibus Mosaicis sæpe occurrit argumentum à minori ad majus: ut, si bos aut asinus inimici errans est reducendus in viam, multò magis vitæ & honori inimici est subveniendum.

2. Deus non justificat impium, scilicet legaliter: at verò Deus justificat impium ad *Roman. 4.* scilicet evangelicè.

3. Magistratus honorandus est muneribus, non corrupendus.

4. Mares quotannis jubentur ter apparere coram Jehovâ, non fœminæ: quia nempe hæ sunt infirmæ & debent esse custodes domus, denique & sanctificatæ fuerunt in maritis.

5. Angelus, qui duxit & præluxit Israëli, fuit Christus. In hoc enim est nomen Jehovæ, & hic honoratur cultu religioso.

6. Timor Dei, quem incutit hominibus, est præcipua causa victoriarum.

7. Israëlitæ vetantur pangere fœdus politicum cum Cananæis, tum quia illi devoti erant excidio, tum quia fœdus illud politicum secum traxisset communionem religionis.

C A P U T X X I V.

1. **J**ehova dicit Mofi: *Ascende ad Jehovam:* ut distinctiōnem personarum in unitate essentiæ demonstret.

2. Popu-

2. Populus dicit: *Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus*, id est, probamus leges nobis latas, & juxta illam sententiam instituemus rempublicam & vitam nostram, nempe filiali affectu, quem Deus solet paternè juvare.

3. Moses scripsit universos sermones Domini, ut nempe pars essent canonis, quem Deus per partes confirmavit, occasionibus ita ferentibus, ex consilio ipsius Dei & commodo ecclesiæ.

4. Sanguis juvenorum dicitur sanguis fœderis, nempe veteris, sicut poculum eucharisticum dicitur sanguis fœderis N. T. *Matth. 26.* phrasi sacramentali.

5. Sanguis pecudum corporaliter spargebatur in populum, quia erat typus & signum materiale: at verò sanguis Christi in eucharistiâ non corporaliter bibitur, quia est antitypum.

6. Deus in specie certâ videndum se præbet Israëlitis, ut familiaritatem, majestatem, & puritatem suam illis ob oculos ponat: non verò ut regulam conceptus aut formam delineationis proponeret.

7. Moses quadraginta dies jejunat in monte, tanquam typus Christi, *Matth. 4.*

C A P U T X X V.

1. **P**lures ceremoniæ in ecclesiâ Judaicâ fuerunt necessariæ, ut ista multitudo populum contineret in officio & simul præstantiam rerum adumbrandarum significaret.

2. Quatuor sunt genera ceremoniarum Mosaicarum, videlicet sacramenta, sacrificia, observantiæ, & instrumenta sacra; de quibus omnibus teneatur regula Apostoli, *Solet Deus ad confundendos sapientes hujus mundi adhibere signa stulta & abjecta.*

3. Nullum Dei mandatum est sine promissione: sic Deus hoc loco plurima promulgat mandata, quibus subjungit hoc epiphonema, *Habitabo in medio ipsorum*, nempe spirituali revelatione & beneficentia.

4. Sacramenta hujus capitis sunt, tabernaculum, arca fœderis, mensa cum panibus propositionis, & lych-nuchus sacer.

5. Cherubini speciali Dei mandato, tanquam typi stabant extra hominum conspectum. Itaque hinc non potest stabiliri imaginum usus in templis.

C A P. XXVI. XXVII. XXVIII.

1. **I**N tabernaculo & ornatu sacerdotum, res præscriptæ spectantur, vel uti res sunt simpliciter, vel uti sunt typi seu figurantia, sive figuralia. Res simpliciter per se non erant typus, sed ad constitutionem materialem typi pertinebant. Itaque hæc non singula sed omnia simul veniunt in rationem typi. Dico omnia simul: quæ nempe ad formale cujusque typi concurrunt.

2. Deus in politiâ ambulatoriâ unum atrium imperavit, quod in politiâ stabili fuit ampliaturum, & suis quasi atriolis distinctum. Nam rationes externæ rerum non incommodè permutantur, si usus ecclesiæ postulaverit, salvâ rerum, quas Deus imperavit, substantiâ, juxta regulam: *Non oportet nos pertinaces esse in rebus externis, in quibus non substantia cultus & officii, sed commoditas est posita.*

3. Aureus nitor tabernaculi non probat luxum Basilicarum, sed pingit præstantiam ecclesiæ catholicæ. Similiter ornatus sacerdotum non probat vestes sacrificulorum, sed pingit ornatum Christi & Christianorum.

4. Cultus N. T. est præstantior, quia licet non habeat apparatus Leviticum, tamen habet facilitatem, simplicitatem, & complementum umbrarum.

C A P U T XXIX.

1. **M**inisterium ecclesiasticum valet ob divinam ordinationem, sed ordinatio ecclesiastica, seu initiatio & consecratio ritualis, valet ad dignitatem officii & con-

& confirmat ordinationem divinam, quasi sacramentaliter.

2. Religio perpetua dicitur vel ratione sanctimoniam, vel ratione durationis politiam Mosaicam.

3. Implere manus sacerdotis est offerre Deo sanctimoniam, & conferre sacerdoti alimoniam.

4. Deus jubet adoleri adipem obtegentem cor, hepatis, & renes, ut doceat corruptum esse hominem quantum attinet ad τὸ νοητικὸν, θυμικὸν, καὶ ἐπιθυμητικὸν; & ignem spiritus sui solum esse artificem nostrae purgationis per sanguinem Christi.

5. Bini agni quotidie sacrificabantur, unus mane, alter vesperi: qui erant typi Christi agni immaculati: & propterea matutinis omnibus inde à tempore Davidis *Psalms. 22.* vesperi autem *Psalms. 136.* canebatur. Ita incipiebat dies & claudebatur commemoratione beneficiorum Dei in Christo.

6. Verbum Hebraicum **זָבַח** est generale, quod ad omnis generis actiones referri potest. Exponendum igitur est pro circumstantiâ loci, ut *Gen. 18.* fecit vitulum, id est, mactavit: *2. Reg. 13.* faciet cibum, id est, parabit: sed hoc loco *facies arietem*, id est, sacrificabis. Ineptum igitur est argumentum ex hoc verbo à sacrificio ad sacramentum eucharistiae.

C A P U T X X X.

1. **M**orti adjudicatur, qui lotionem externam neglexerit, videlicet propter reverentiam mandati divini & analogiam rei significatae.

2. Oleum benedictum non stabilit **ἁγίασμα** sacerdotum apud Papistas, sed **ἁγίασμα** Spiritus Sancti.

C A P U T X X X I.

1. **A**d res divinas hæc tria oportet concurrere: dona spiritus, vocatio per spiritum & homines, & denique operatio seu administratio.

2. Artes mechanicæ æquè à Deo conferuntur, atque artes eruditæ.

C A P U T X X X I I.

I. **A** Haron peccat nimiâ popularitate, populus præcipitantiâ, uterque superstitiositate, quâ Deum volunt colere in vitulo; contribuentes hanc ad rem instrumenta aurea, quæ ab Ægyptiis acceperant, ad quorum imitationem etiam vitulum potius quàm aliam imaginem elegerunt.

2. Hominem pœnitet cum motu sui, Deum pœnitentet absque motu, sed non absque motu operis sui.

3. Moses non casu fregit tabulas, sed certo consilio, ut populo exprobraret alienationem ipsius à fœdere, quod consignatum erat istis tabulis.

4. Moses dicendo, *Recordare Abrahami* &c. nec patriarchas illos invocat, nec merita ipsorum allegat, sed juramenti Deum admonet, quo ille se obstrinxerat ipsis patriarchis & ipsorum posteris.

5. Moses singulari artificio comburit aureum vitulum. Hoc tamen non obstat, quo minùs hodie res pretiosas, quibus abusi sunt majores nostri, in pios usus convertere possimus: quia videlicet instrumenta idolatriæ sunt talia vel directè vel indirectè.

6. Motus fidei, charitatis, & orationis in fidelibus, considerantur communiter vel singulariter; citra conditionem vel cum conditione; denique citra perturbationem vel cum perturbatione. Moses hoc in loco orat & optat deleri de libro vitæ, quatenus erat mediator populi, & is quidem perturbatus, verùm ita, ut ipsius oratio & votum habuerit implexam conditionem.

7. Inscriptio & deletio in librum vitæ, est recensio in numerum filiorum Dei, aut abdicatio recensitorum, est autem iste liber vel communis vel singularis. Ille est ecclesiæ visibilis hic ecclesiæ invisibilis.

C A P U T

C A P U T XXXIII.

1. **C**omminationes Dei semper ostendunt Jus Dei, & sæpe habent implexam conditionem & denique plurimum terminantur hominum inobedentiâ. Sic Deus hoc loco dicit *Delebo*.

2. Deus loquebatur ad Moſen, *facie ad faciem*, id est, coram, familiariter, amicè, in formâ humanâ ad tempus assumptâ, clarâ denique voce, non verò obscurâ specie, id est, in ecstasi vel somnio.

3. Moſes vidit faciem paternæ & intensæ benevolentiae Dei, non verò faciem immensæ essentiae & rigidæ justitiæ. Et ideò dicit Deus; *Non videbis faciem meam, sed posteriora mea*, id est, quicquid ego revelo in libro naturæ & scripturæ.

4. Deus ait: *Miserebor cujus miserebor &c.* id est, non respiciam merita vel dignitatem hominum, sed gratis salvabo quos salvabo.

C A P U T XXXIV.

1. **D**efinitio, quâ Deus enuntiat attributa sua tum in seipsis spectata, tum ad creaturas relata, est perfecta, ratione reciprocationis, non verò ratione cognitionis à priori. Deinde hæc definitio ostendit ad oculum, quòd attributa Dei sint varia, quatenus sunt affectiones erga creaturas; itemque variæ effectiones.

2. Velamen Moſis interprete Apostolo, 2. *Cor.* 3. notat infirmitatem hominis, & ἀδύνατος legis hoc modo. Moſis legislatoris facies splendens notat fulgorem legis, qui perstringit oculos intuentium. Velamen Moſis notat impotentiam cordis nostri. Hoc velamen removet

Christus in evangelio quod est tanquam speculum, in quo gratiam Dei splendentem per Christum intuemur.

L

C A P. XXXV. XXXVI. XXXVII.
XXXVIII. & XXXIX.


IN his capitibus non est otiosa, fastidiosa, & puerilis repetitio, sed proponitur inventarium, indiculus, & syllabus, ex quo recognosci queat Mosis & artificum obsequium eum mandato Dei comparatum: quemadmodum in rebus polit. ubi magistratus aliquid mandat fieri, artifices, ad probationem sui obsequii reddunt rationem operis ex inventario. Non igitur hinc est inanis repetitio, sed legitimi & religiosi obsequii declaratio. Et hoc inventarium fuit relatū in archivum ecclesiæ. Deinde per illud toties repetitum **F E C I T** Spiritus S. nos admonet ut exemplo Mosis cultum Dei instituamus, juxta solum præscriptum verbi, & rationem nostram captivemus sub obsequium fidei, non abjiciendo rationem, sed illam subjiciendo magisterio fidei.

C A P U T X L.

1. **M**Oses non poterat intrare tabernaculum propter gloriam Dei, cum tamen in monte Sinai toties istam gloriam potuerit ferre. Ratio diversitatis est, quia gloria sanctificans tabernaculum notabat plenitudinem Deitatis, quæ in solo Christo habitat, quamque nemo homo potest assequi.

2. Comprobatio tabernaculi alia est extraordinaria & singularis, alia ordinaria, communis, & perpetua. Illa est opus in principio & veluti generatione ecclesiæ: hæc in conservatione ipsius: quod ipsum in ecclesiâ N. T. est videre.

L E V I.



L E V I T I C U S.

C A P. I. II. III. IV. V. VI. VII.

1. **S**A CR I F I C I A erant alia perpetua, ut holocaustum *cap.1.* & munus *cap.2.* Alia certi temporis, eaque vel voluntaria, ut eucharistica *cap.3.* vel necessaria, ut sacrificium pro errore *cap.4.* pro infirmitate *cap.5.* pro consecratione sacerdotum *cap.6.* denique pro delicto. *cap.7.*

2. Mors Christi semper est in conspectu patris; & propter hanc placuerunt ipsi sacrificia typica, usque adeo, ut dicantur expiasse peccata, & fuisse odor quietis, hoc est acquiescentiæ.

3. Qui offerebat holocaustum, manu suâ nitebatur super caput holocausti, quo significabatur plerophoria fidei deonerantis peccata in Christum & nitentis morte Christi.

4. Sacrificia non placebant suâ quantitate, sed qualitate offerentis, unde non minùs ipsi placebat offerens columbam quàm bovem.

5. Omnia sacrificia offerebantur per sacerdotem, ut intelligeremus pretium nostris bonis operibus accedere à morte Christi, non ut mereantur, sed ut approbentur.

6. Hostia maclanda erat in latere septentrionali, non autem in orientali: ut Deus populum arceret ab idololatriâ gentilium, qui solem orientem adorabant. Quo accedit ita significatum fuisse, populum habere umbras obscuras.

7. In munere tria ista offerebantur, simila, oleum & thus. Simila adumbrabat hominem credentem, qui se macerandum & subigendum præbet domino: oleum adumbrabat refocillationem spiritus: thus adumbrabat gratum odorem in Christo.

8. Gentiles ex Levitico Mosis plurima sunt mutuati, videlicet molam falam, ignem Vestalem.

9. Munus dicitur memoriale coram domino, per ἀνθρωποπάθειαν, quia Deus quasi admonebatur, ut offerentis rationem clementem haberet.

10. Deus voluit, ut omnes unico altari essent contenti, tum ut unicum Christi sacrificium figuraretur; tumque, ut fideles in ejusdem fidei consensu omnes continerentur.

11. In holocaustis offerebatur masculus tantum, qui figurabat Christum, in eucharisticis etiam poterat offerri foemella, ut agna vel ovis, ut significaretur, non solum viris, sed etiam foeminis patere aditum ad ecclesiam.

12. Adeps comburebatur, quia inter alia significabat duricordiam, ut loquitur Tertullianus.

13. Interdictum gustandi sanguinis & adipis significabat extirpandum esse vitium motus & sensus.

14. Sacerdoti praescribitur hostia operosior & sumptuosior, propter officium; quia est imago Christi & interpretis legis, & propter damnum quod ex pravo ipsius exemplo oritur.

15. Omnia sacrificia V. T. erant ceremonialia: omnia N. T. sacrificia sunt moralia, etiam sacrificium Christi: quippe quod fuit moralis & spiritualis obedientia.

16. Omnia sacrificia V. T. ex finibus erant ἱλάσιχα vel eucharistica: illa reatum ceremoniale expiabant in ecclesia, non vero civilem in foro, multo minus spiritualem coram Deo. Hunc vero Messiae sacrificio expiandum significabant. Haec erant obedientiae moralis significativa.

17. Sacrificia ἱλάσιχα erant expiatio ceremonialis proprie. Moralis vero sacramentaliter. Nam sacrificia ratione effectus etiam erant sacramenta, id est, sigilla expiationis per Christum.

18. Tres sunt offensarum causae: ignorantia, infirmitas, &

tas, &

tas, & voluntas. Omnia verò ista trahunt reatum mortis æternæ, utpote quæ fuerunt expianda.

19. Christus sanguinem suum fudit septies, id est, absolutissimè & perfectissimè.

20. In eucharisticis licebat offerre panes fermentatos, ut ostenderetur Deum ferre nostram infirmitatem.

21. In eucharisticis pectus agitabatur coram Jehovâ, & armus dexter in altum attollebatur: ita cùm nos ipsos offerimus Domino, tanquam hostias acceptas in Christo, debemus & pectus & pedes, id est, cogitationes & actiones nostras in totum Deo permittere, qui eas verset & dirigat, ut ita non solùm simus sani in doctrinâ, sed etiam sancti in vitâ.

22. Quævis ecclesiâ, etiam tota, errare potest, quam electi non possunt deficere.

23. Hostia tota cremabatur, ut significaretur sacrificium Christi esse totum perfectum, & omni ex parte absolutam expiationem peccatorum nostrorum, originalis & actualium, ante & post baptismum, ita ut nihil prorsus cuiquam hominum coram Deo expiandum sit relictum.

24. Ritu elevationis confitebantur Israëlitæ, se omnia dona à Domino accepisse, & illi omnia vicissim debere.

C A P U T V I I I.

1. SACERDOTES in V. T. erant vel ex antiquâ observatione, ut primogeniti: vel ex ordinariâ legis institutione: at verò Moses neutrum fuit. Quo itaque jure omnes sacerdotis partes obiit? Resp. Quemadmodum in rebus naturalibus generandis aliquid singulare desideratur, quod in constitutione ipsarum, ex quo generatæ sunt, definit: sic etiam in novo ecclesiæ ordine generando singulare aliquid adhibuit Deus, quod postea desit esse, quàm ordo constitutus est, juxta regulâ, *Ordinaria institutiones Dei valent, cùm ordo publicus jam sancitus*

est; extraordinaria, cum ordinis publici principium ducendum est, siue novi, ut hoc loco: siue renovandi ut factum est in depravatione ecclesie, quam restituerunt propheta.

C A P U T I X.

DEus igne consumit sacrificium Aharonis in testimonium approbationis, quia nempe sacrificium istud erat testimonium fidei & internæ pietatis. Itaque non approbavit opus operatum, quod toties rejecit per prophetas.

C A P U T X.

1. **N**adab & Abihu alienum ignem offerentes, figurant hæreticos & traditionarios, quorum doctrinæ alienæ consumuntur tandem igne furoris Dei.

2. Aaron & filii ejus prohibentur lugere mortem Nadab & Abihu, quia in ipsorum pœnâ sanctificatus erat Dominus.

3. Peccator portat peccatum suum subjective: sacerdos & aries portabant peccatum populi imputative & typicè: Christus portat peccata nostra imputative & realiter.

C A P. XI. XII. XIII. XIV. & XV.

1. **I**mmundities alia est externa, cap. 11. alia interna, eaque ex puerperio cap. 12. leprâ cap. 13. & 14. & profluvio sanguinis cap. 15. ubi est generalis regula: *Impuritas carnalis & legalis, significat impuritatem moralem & spiritualem, proinde purgatio legalis & externa significat supernaturalem & internam sanctificationem.*

2. Aliquid est mundum vel immundum, subjective, effective, vel relative. Sic omnia ex creatione sunt munda tribus hisce modis. Immunda subjective sunt, quæ propter qualitatem inhærentem sunt talia, ut bufo; immunda effective, sunt, quæ immunditiam in alia transferunt,

ferunt,

ferunt, ut bufo, lepra &c. Relativè immunda sunt, quæ ex instituto sunt talia. Instituti autem causæ sunt naturales, morales, vel figurales: quæ omnes concurrunt in interdicto ciborum immundorum. Nam Deus. 1. habuit rationem valetudinis Judæorum, qui dispositi erant ad peculiare morbos, quos hi vel illi cibi fovebant. 2. Honestatis civilis causâ voluit ipsos abstinere à quibusdam cibis. 3. Voluit ecclesiam, quæ ex immundo mundo electa est, discernere à gentibus, quibus certa quædam animalia erant sacra, imò habebantur pro diis. Itaque Deus cibum & tactum eorum permisit, quæ apud gentes religio erat comedere vel tangere, ut professio Judæorum esset planè contraria. Huc accedit, quòd Deus hoc freno cohibuit Judæorum obedientiam, & ipsos docuit cibos ex creatione bonos, vitio hominis esse immundos. In primis autem mundities relativa est pictura justificationis evangelicæ; mundities subjectiva & effectiva sanctificationis.

3. Immundum erat aliquid in tactu, cibo, & sacrificio. In tactu quicquid fuit immundum, idem cibo & sacrificio immundum censebatur. In cibo quod fuit immundum, fuit & sacrificio. Ad sacrificium maxima munditia requirebatur: unde intelligimus non nostra opera posse habere rationem satisfactionis coram Deo.

4. Immunditia major & minor designat gradus peccati.

5. Quæ immunda erant tactu, significabant contagionem peccati & conversationem cum peccatoribus.

6. Immundities ex puerperio notat labem peccati originalis. Nam ideò Maria hanc purgationem obiit ex verâ labis suæ conscientia, alioquin non fuisset in eâdem nobiscum fide. Fides enim hæc duo respicit; miseriam peccati, & misericordiam Dei in Christo.

7. Lepa inficiebat hominem, vestem, & domum: ut intelligeremus peccatum inficere totam naturam hominis, & efficere ut neque habeamus vestem justitiæ, neque simus templum Spiritus Sancti. Purgatio

igitur lepræ significat nos hæc omnia habere à Christo.

8. Cognitio lepræ & purgationis pertinebant ad sacerdotem. Ea res docet nos ad Christum confugere, quem figuravit sacerdos. Consequenter tamen hic ritus docet pastores debere absolutionem pronuntiare secundum Dei verbum.

9. Leprosus sanatus offerebat duas aviculas, quarum altera mactabatur, altera in sanguinem intincta dimittebatur, ut significaretur passio humanæ Christi naturæ, & actio divinæ naturæ in passione, adeoque meritum & efficacia mortis Christi.

C A P U T X V I.

1. **D**uo hirci figurant Christum, non quòd ille etiam pro hircis, id est, pro impiis sit passus, sed quia, cum pateretur, visus fuit omnibus ferè abominandus, atque à Deo rejectus, *Esai. 53.* Ex duobus enim hircis, unus fuit expiationis, alter professionis. Nam sacerdos unum hircum pro peccatis offerebat, alterum autem vivum sistebat coram Domino, & professionem optatæ liberationis consummabat, ut intelligeremus Christum ita mortuum esse, ut tamen vivus permaneret, & perpetuum vivens applicet nobis expiationem semel factam.

2. Dies decimus mensis septimi appellatur sabbatum sabbati, hoc est, cessatio omnimoda, in quâ sabbatum conjunctum erat cum jejunio ceremoniali, quod figurabat jejunium morale, de quo Cyrillus elegantissimè ait; *Vis tibi ostendam, qualiter te oportet jejunare jejunium? jejunare ab omni peccato, nullum cibum sumas malitiæ, nullas capias epulas voluptatis: nullo vino luxuria incalescas, jejunare à malis actibus, abstinere à malis sermonibus, continere à cogitationibus pessimis: noli contingere panes furtivos perversa doctrina: Non concupiscas philosophiæ cibos.*

C A P U T

C A P U T X V I I.

1. **S**acrificium offerendum erat ad ostium tabernaculi per solum sacerdotem, ut doceremur in solâ ecclesiâ per solum Christum, hoc est, verâ fide præstari cultus Deo gratos. Quòd verò prophetæ interdum alibi locorum quàm in tabernaculo sacrificarunt, id fuit personale privilegium, quod vel ex arcano Spiritus Sancti instinctu, vel ex speciali mandato proficiscebatur, juxta regulam: *Deus in mandatis suis servat exceptionem, quâ solet illa laxare vel restringere.*

2. Deus jubet abstinere à sanguine duplicem ob causam. 1. quia anima carnis in sanguine est, quæ anima ceremonialiter in pretio habenda est, & hoc est præceptum humanitatis. Deinde, quia sanguis erat symbolum purificationis in sanguine Christi, & hoc est præceptum fidei: & ideo quoque Deus jubet abstinere à morticino.

C A P U T X V I I I.

1. **L**Eges de gradibus prohibitis esse morales, inde patet, quòd Deus ait, incestas illas conjunctiones sibi esse abominationi in gentibus, quæ sunt extra politiam Israëlis. Et se gentes illas puniturum ob ista peccata.

2. Deus horrenda ista flagitia commemorat, quia translatica erant & pro levioribus ducebantur in Ægypto & terrâ Canaan, sicut hodie in Italiâ & Hispaniâ.

3. Gradus divinitus hoc loco prohibiti continentur istis versibus:

Nata, soror, neptis, matertera, fratris & uxor,

Et patrui conjux, mater, privigna, noverca,

Uxorisq; soror, privigni nata, nurusq;

Atq; soror patris conjungi lege vetantur.

Tenenda autem hîc est regula: Non tantum illa personæ prohibentur, quæ hoc loco expressè nominantur, sed & omnes

qua sunt in pari gradu. Cæterum jure civili adduntur plures gradus, ut eò longiùs homines à gradibus jure divino prohibitis arceantur. Qui enim à tertio gradu civiliter prohibito abstinent, ii etiam à gradu secundo, in lege divinâ prohibito, abstinent. Neque tamen hæc ratio excusat largam & amplam prohibitionem juris canonici, quia illa æquatur prohibitioni divinæ, & est seges Simonix.

C A P U T X I X.

1. **S**anctitas Dei est essentialis: sanctitas Christi mediatoris est partim habitualis, partim actualis: sanctitas credentium est communis vel propria. Communis est credentium in V. & N. T. eaque imputata & inchoata, utraque est evangelica. Propria est vel ceremonialis in V. T. vel ritualis in N. T. ubi perpetua est regula: *Religio signi est nulla & cruda sine religione signati.*

2. Humanitatis præceptum est, ut messis non tota demetatur, neque granum cadivum anxie colligatur. Similiterque ex vindemiâ non fiat racematio, sed pauperi relinquatur.

3. Simplicитatis præceptum est, ne duo genera jumentorum coire sinant, aut diverso semine agrum conferant, aut vestem ex diversâ materiâ texant. Voluit enim Deus docere, se abominari confusionem, & inprimis mixtam religionem.

C A P U T X X.

1. **Q**ui Molecho sacrificabat liberos suos, non tantum violabat legem humanitatis, sed etiam profanabat fœdus Dei, quia de semine suo, quod ex fœdere ad Deum pertinebat, dæmoni offerebat.

2. Impietas est occulta vel manifesta. Illam Deus vindicat: Hanc per magistratum vindicari vult, ubi tenenda est regula; *Supplicia paria paribus noxis analogice sunt applicanda.*

C A P U T

C A P U T X X I. X X I I.

I. SAnctitas seu puritas sacerdotibus imperatur ter gemina. 1. generalis, quam habent communem cum omnibus credentibus. 2. specialis, quæ requiritur ab omnibus sacerdotibus. 3. specialissima, quæ requiritur in summo sacerdote, tanquam typo Christi.

2. Sacerdotes prohibentur tangere mortuos, ut doceamur omnes Christianos, qui sunt coram Deo sacerdotes, debere hoc unicè agere, ne per opera mortua, vel homines spiritualiter mortuos, abducantur à vocatione suâ.

3. Sacerdotes poterant funeralia præstare sorori in-nuptæ, non autem sorori maritatæ. Non quòd Deus conjugium abominaretur, sed quia soror conjunx facta transibat in viri potestatem.

4. In sacrificiis necessariis Deus repudiat oblationes, quæ vitium aliquod habent, non modò ad perfectionem sacrificii Christi significandam, sed etiam, ut ostendat, se coli velle integro & sincero affectu. Permittit autem in spontaneis sacrificiis oblationes, quæ non sunt integræ, ut doceat nostram obedientiam, quam ipsi post acceptam remissionem peccatorum præstamus, quamvis imperfecta sit, & non careat vitio, nihilominus tamen sibi gratam esse propter Christum.

C A P U T X X I I I.

I. FEstas hebdomatica, menstrua, & anniversaria in V. T. erant pars cultus Dei: in N. T. possunt esse adminicula cultus Dei: ita ut nos ipsos magis ac magis in omni pietatis officio exerceamus, tum ut alios informemus, tum denique ut profiteamur religionem nostram.

2. Jejunium appellatur afflictio animæ, quia significat contritionem & dolorem pro admissis peccatis.

C A P U T X X I V.

1. **L**ocum ab autoritate, Moses præmittit omnibus sanctionibus, ut intelligamus omnia religionis dogmata resolvenda esse in illud principium, **D E U S D I X I T.**

2. Blasphemia viri Ægyptii non fuit enuntiatio nominis Jehova, ut Rabbini nugantur, sed profana nominis Jehova usurpatio.

C A P U T X X V.

1. **E**t si leges politicæ Mosaicæ ratione externâ politicæ fuerunt, tamen fundamento sive principio & fine ad professionem gratiæ pertinebant.

2. Sabbati observatione homines se Dei esse; anni vero sabbatici & Jubilæi observatione, regionem suam Dei esse profitebantur, & se colonos esse atque ἐμφο-
767τες Dei.

C A P U T X X V I.

1. **P**romissiones Dei sunt absolutæ vel conditionales, illæ à solâ Dei voluntate dependent, verbi gratiâ de Christo: hæ conditionem legalem vel evangelicam habent additam. Conditio legalis additur, non quòd possimus eam implere, multò minùs implendo eam aliquid mereri: sed ut agnoscamus legis ἀδυνατον, & ideo confugiamus ad evangelium. Conditio evangelica docet omnes promissiones in Christo esse Etiam & Amen, 2. Cor. I. hoc est, ratas esse & firmas, propter Christum fide apprehensum.

2. Deus in comminationibus & judiciis suis procedit gradatim, pro modo nostræ inobedienciæ, ut loquitur Tertullianus; Ita in hoc capite sunt quinque gradationes septenarii, unde natæ sunt duæ maximæ: 1. *De judiciis Dei non est pronuntiandum ante quintum actum.*

2. *Septe-*


2. *Septenarius Apocalypticus ex hoc capite habet ortum suum.*

3. Insignis est locus de reiectione & conversione Judæorum *vers. 39. & seqq.* hoc ipsum Judæi non obscure agnoscunt, quando *versum 41* vocant *den gûldezen Assen*: quia prima dictio ultimæ periodi incipit à *voculâ Hebræâ אש*, id est, *etiam*.

C A P U T X X V I I.

1. **Q**UÆ Deo voventur seu promittuntur, sunt vel à Deo præcepta, ut quòd velimus Deum colere: vel prohibita, ut cùm promittuntur peccata, vel quæ sine peccato præstari non possunt, ut cùm promittitur perpetua castitas, quam aliquis non habet, vel denique indifferentia.

2. Leges de votis, decimis, anathematis, & primogenitis, imperatæ fuerunt à Deo, quòd legitima hæc pensitatio à populo præstanda esset Deo jure colonarii, hoc est, eò quod Israëlitæ in coloniam terræ Canaan & possessionem emphiteuticam singulari Dei gratiâ recepti essent. Æquum enim est, ut vasalli, clientes, & beneficiarii excidant jure colonarii; si non quotannis justo honorario agnoscant dominum.



N U M E R U S

C A P U T I.

1. **N**umeratio seu recensio Israëlitarum in deserto ter fuit facta. Prima erat symbolum redemptionis & sanctificationis, *Exod. 38.* Secunda fit hoc loco ad rationem ordinis, in castrorum profectionibus & metationibus, utrobique est idem numerus numerans, videlicet, sexcenties ter mille quinquaginta capita, sed non est idem numerus numeratus. Nam in primâ recensione omnes in univer-

sum Israëlitarum fuerant recensiti. In secundâ omitti fuerunt Levitæ. Tertia numeratio facta fuit propter hereditatem adeundam atque dividendam, infra *cap. 26.* Et in hoc censu fuerunt capita sexcenties semel mille septingenta triginta.

2. David peccavit numerando populum; quia sine mandato Dei & ex arrogantia hoc fecit. Moses hinc non peccat, quia jubente Deo id facit.

3. Causa numerationis populi non est, ut Dominus cognoscat, an hic populus sufficiens & validus sit futurus, ad hostium impetum sustinendum: sed 1. ut ordinem inter eos instituat, quem observent in ponendis & movendis castris, & in pugnando contra hostes. 2. ut ostendat sibi placere ordinem politicum & distributionem graduum & officiorum singulis convenientium. 3. ut de singulis tributim possit colligi in ministerium tabernaculi. 4. ut notam faciat tum veritatem, tum potentiam suam. Veritatem quidem in servandâ promissione Abrahamæ factâ de augendâ posteritate: potentiam verò, partim in augendo populum tam brevi tempore, partim in alendo & sustentando illo in deserto, sine agriculturâ & sine pastu pecorum, s. ut declaret erga ipsos suum amorem & sollicitudinem. Quæ enim chara sunt, crebrò solent aspici & numerari. 6. ut doceat se omnes suos electos habere in numero, ratione numeri numerantis, id est, formæ, & numeri numerati, id est, individuorum.

C A P U T I I.

1. **C**astrametatio Israelitarum erat ordinatissima & cornatissima, ad instar civitatis. Nam tabernaculum erat in medio, & ternæ tribus circa latera singula commanebant, & plateæ erant per medium.

2. Deus vult tabernaculum in medio castrorum extare, 1. in consolationem de sui præsentia. 2. in admonitionem, ut ipsum præ oculis habeant, neque cultus ejus ob-

ius obliviscantur, neve ipsum peccatis offendant. 3. ne aliqua tribus conqueri posset, sese sperni, si ei remotius à tabernaculo castrametandum esset.

3. Circa tabernaculum ordinantur Levitæ, ut memores sint officii, quod est partim operis sacri, partim populum habere in conspectu suo.

C A P U T I I I.

1. **N**umeratio & oblatio primogenitorum has habet causas. 1. Est memoria conservationis primogenitorum in Ægypto. 2. Est commonefactio, quòd Judæi habeant nihil proprii, sed omnia à liberali Dei manu, & proinde ad ipsius gloriam omnia referri debere. 3. Consolatio, quòd Israëlitæ sint omnium populorum primogeniti, hoc est, ex omnibus gentibus peculiariter electi. 4. Est typus Christi & Christianorum. Nam Christus est primogenitus ratione Deitatis, humanitatis, donorum, & resurrectionis. Deinde Christus nobis confert jus primogenituræ, faciendo nos sacerdotes, reges, & cohæredes suos.

2. Levitæ substituuntur in locum primogenitorum, ut discant se imprimis esse curæ Deo, & sibi imprimis debere esse curæ, quæ sunt Dei.

C A P U T I V.

1. **Q**uòd Deus Levitas non ab anno vigesimo, quò cæteros Israëlitæ ad bellum adhiberi jubet, sed partim anno 25. partim anno 30 ad ministerium tabernaculi admitti vult, in causâ est, ut doceat in illis, qui sacrosanctum hoc munus obire debent, majorem requirere intelligentiam. Deinde annus trigessimus figuravit annos politiæ Christi.

2. Ætas legitima ad ministerium Leviticum definitur ab anno 30 usque ad 50, quia judicium hoc curriculo quasi evolvitur.

3. Involucrum hyacinthinum notat glorificationem nostri, propter puritatem coloris purpureum, justificationem per sanguinem Christi; hoc itaque gemino involucro involvuntur omnes & singuli credentes.

C A P U T V.

1. **A**qua zelotypiæ fuit mulieri nocenti venenum, innocenti encomium, idque singulari Dei instituto. Itaque cessante republicâ Israëlitarum, cessat etiam hæc lex. Ut nihili sint aliæ rationes excogitatæ ab hominibus, quibus innocentia publicè probetur: videlicet inter viros monomachia seu duellum, inter mulieres ferrum candens, hæc enim ratio explorandi veritatem est mera tentatio Dei.

2. Aqua zelotypiæ appellatur aqua maledictionis, ab eventu partiali, nempe ratione mulieris adulteræ.

C A P U T VI.

1. **N**Azireorum sanctificatio figurat sanctificationem generalissimam, specialem, & specialissimam. Nam primò omnes Christiani admonentur ritu Naziræorum, ut perpetuò ducant vitam sobriam, neque nimis addicti sint munditiæ externæ, & ut abstineant ab omni contaminatione. Deinde talia inprimis debent observare pastores; quia eximiâ ratione sunt Naziræi. Denique Christus inprimis fuit præfiguratus: utpote qui unicè in id erat intentus, ut voluntatem Dei faceret, atque ab omni pollutione esset alienissimus. Itaque Christus non fuit Naziræus, sed veritas Nazireatus.

2. Naziræi erant votivi vel imperati. Illi erant temporarii, hi perpetui. Neutri patrocinantur votis monasticis. Non illi; quia vota monastica sunt perpetua: non hi; quia vota monastica destituuntur verbo Dei. Nos enim ad V. T. pædagogiam non adstringimur.

3. Benedictio Aaronica non fuit magica, sed partim sacerdotalis, partim pastoralis. Sacerdotalis, quatenus sacer-

facer-

sacerdos erat typus Christi, qui æternam benedictionem nobis attulit. Pastoralis, quatenus sacerdotes expansis in cœlum manibus Deum orabant pro benedictione ecclesiæ; postea manus suas protendebat super populum, quasi capitibus totius ecclesiæ eas imponentes: tanquam si acceptam è cœlo benedictionem manibus suis, Deo authore, in ecclesiam deponerent, benedictionem inquam à Deo exoratam. Deus enim suam benedictionem quæ fit actione physicâ, conjungit cum benedictione pastoris, quæ est moralis.

4. Formula benedictionis Aaronicæ, probat sacrosanctam Trinitatem, non tam repetitione ternariâ nominis Jehova, quàm determinatione operum personarum ad extra. Nam pater benedicit nos in Christo, *Ephes. 1.* Christus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, *Joh. 1.* Denique Spiritus sanctus est autor & fautor pacis. *Gal. 5.*

C A P U T VII. & VIII.

1. Sanctimonia communis imperata & expedita est *Scap. 5. 6.* propria est vel tribulitia, duodecim principum è singulis tribubus *cap. 7.* vel levitica, *cap. 8.*

2. Duodecim principes singulorum tribuum offerentes sua munera adumbrant apostolos.

3. Consecratio Levitica malè trahitur in consequentiam: quia est contumelia in lucem evangelii; sicut est contumelia in lucem solis, si quis in mero meridie accendat lumen, ut illustret solem.

4. Levitæ jubentur radere pilos, ut, qui ministerio ecclesiæ præficiuntur, discant abjicere omnes sordes, quoad ejus fieri potest. Id ergo nobis est curandum, non verò umbræ leviticæ in contumeliam revelati evangelii sunt reducendæ.

5. In ministerio Levitarum, ex ætate distinguendi sunt quatuor gradus, quos Apostolus *1. Tim. 3.* vocat *βαπτισμῶς*. Primus est catechumenorum ad annum æta-

tis 25. Secundus lytarum anno 28. Tertius prolytarum anno 30. Quartus episcoporum anno 50.

C A P U T I X.

1. **P**ascha dicitur oblatio; quia maclabatur & in honorem Dei comedebatur.

2. Non erat quicquam ex agno paschali relinquendum in posterum diem; ut significaretur, curam salutis nostræ, non esse rejiciendam in alterum seculum, verbi gratiâ, in purgatorium, sed omnem justitiam in Christo quærendam esse in hâc vitâ.

3. Pascha erat ordinarium, sive mundorum, & extraordinarium seu immundorum, quod etiam dicitur succedaneum, quæ distinctio non est in substantiâ paschæ, sed in circumstantiâ communicantium.

4. De die nubes, de nocte species ignis tegebat tabernaculum, toto peregrinationis tempore, usui fuit tum ad profectioes, movente nube aut specie ignis: tum ad stationes, utraque consistente. Typus est, ut ecclesia omne principium motus & quietis suæ, id est, omnem suam perfectionem, itemque defensionem sui, & offensionem hostium in Deo quærat & inveniat.

C A P U T X.

1. **D**uæ tubæ notant vocem legis & evangelii, adeoque utriusq; testamenti. Ea enim 1. nos vocat ad ecclesiam. 2. in ecclesiâ vocat ad faciendum officium. 3. excitat ad suscipiendam profectioem in cœlestem patriam. 4. In periculis confirmat. 5. In secundis agit Deo gratias.

2. Sonus verbi Dei non est fractus, id est, pompalis, ut loquitur Tertullianus, sed rectus, id est, simplex.

3. Chobab fuit ipsissimus Jethro, non verò Jethronis filius, ut patet *Exod.* 18. Neque verò insolens est in scripturis aliquem esse binominem.

4. Elegans

4. Elegans est regula: *Præsumptio est fidei, non verò fides, media à Deo suppeditata negligere.* Itaque non pugnat cum fide Mosis, quòd ascivit sibi Chobabum, ut populo esset oculorum loco. Nam columna nubis & ignis notabat metationes, id est, stationes & profectio- nes. Chobab verò metationum & profectio- num commoditates & incommoditates (utpote regionis peritus) exponebat. Chobab enim non dicebat: *Hic metamina sed in hac metatione vel profectio- ne sunt aqua, fauces montium &c.* Itaque cum præsidio providentiæ Dei non pugnat amicorum mutuam auxilium, quia Deus decrevit quædam dare & facere, quædam mediatè, quædam immediatè. In Deo enim fides & spes omnis collocanda est, sed charitas non debet aspernari amico- rum studia.

5. Oratio Mosis est admodum pathetica, qua postulat præsentiam Dei gratiosam, tum ad profectio- nes, tum ad stationes necessariam: ubi verba illa, *myriades millia Israël*, non sunt epitheton populi, sed Dei in hanc sententiam: Tu, ô Deus, qui firmamentum es populo tuo, adeoque instar myriadum millium.

C A P U T X I.

1. **P**OPULUS decies murmuravit (in universum.) Hic itaq; queritur, cur Deus populum hunc adeò ingratum elegerit in ecclesiam? &c. Voluit Deus hinc reportatæ laudem benignitatis, longanimitatis, & severitatis. Benignitas est, quòd elegit populum, non ob merita, sed ex merâ & mirâ misericordiâ. Longanimitas est, quòd pertulit mores hujus populi usque ad adventum filii sui. Severitas est, quòd Deus tandem dedit huic populo libellum repudii (non irritam faciendo electionem æternam, sed irritam faciendo prærogativam electionis illorum.) Discamus ergò hinc regnum Dei esse regnum clementiæ, & misericordiæ, & id operam demus, ne nostrâ ingratitudine perdamus.

M 2

2. Sanhedrim, id est, magnum consistorium hoc loco instituitur, quod constabat ex septuaginta majoribus, & uno præside, videlicet Mose, & illius successore. Id duravit usque ad Herodem Ascalonitam, qui illud sustulit & planè immutavit.

3. Deus dicit ad Mosen: *Auferam de spiritu tuo &c.* Non quòd minuerit spiritum Mosis, sed quia communicavit cum septuaginta illis viris de eodem spiritu, de quo antea communicaverat cum Mose. Nam plenitudo spiritus apud Deum est tanquam lumen, de quo aliud lumen accenditur absque diminutione.

4. Coturnices solent quidem quotannis gregatim venire, sed hoc loco est miraculum: tum quia tempore insolenti venerunt, tum quia maximo numero castra operuerunt.

C A P U T XII.

1. **M**urmur Aaronis & Mariæ contra Mosen est sarcasticum, hoc modo: si Moses tanto prophetiæ dono instructus esset, non duxisset uxorem infidelem, impiam, exteram, quia hoc non licet populo Dei. In primis autem duci & prophetæ, qui administrationem populi hâc ratione in gentem infidelem exteramque potest transportare.

2. Murmur contra Mosen est murmur contra Deum, juxta regulam: *Injuria illata legato, redundat in legantem.*

3. Apologia Dei pro Mose non docet, quòd Moses viderit essentiam Dei, sed quòd viderit ordinariè & speciem & similitudinem, eamque non ænigmaticè, ut alii prophetæ, sed clarè. Itaque discrimen est in gradu, non in genere aut specie visionis. Cæterùm species illa Dei fuit exhibita tanquam imago transiens, non verò permanens.

4. Regula est: *Sæpè Deus æqualiter peccantes inæqualiter punit in hac vitâ, propter circumstantias inæquales,* ut hoc loco Aaron est socius culpæ, neque tamen pœnæ: quia

næ: quia nempe Maria erat mali principium & auctrix contentions, fratrisque animum accenderat contra Mosen, Teneatur etiam hîc regula Nazianzeni: *Μείζον τὸ μέτρον τῆς φιλανθρωπίας, ὑπὲρ τὸ μέτρον παιδαγωγίας.*

C A P U T X I I I.

1. **D**Eus mittit exploratores in terram Canaan, ut exploret animos populi.

2. Josua fuit binomius: dicitur enim hoc loco Hoseas.

3. Relationis duodecim legatorum sunt duo genera, unum inconsultum & impium, idque legatorum decem: alterum consultum & pium, idque Calebi & Josue.

C A P U T X I V.

1. **D**Eus ait: *Percutiam eos pestilentia*, quod tamen non fecit: quia comminatio ista non fuit categorica, sed hypothetica, non sententiæ simplicis & definitivæ, sed gratiosæ communicationis. Quâ Deus utitur, ut Mosen excitet ad intercessionem pro populo. Deinde hæc comminatio ostendit meritum populi.

2. Deus remittit peccatum Israëlitis, sed non item remittit supplicium temporale, non ut illo expiatur peccatum, sed ut ipsi castigentur & reliqui alienâ fruantur infaniâ, hoc est, aliorum exemplo edocti sapere discant.

3. Deus promissionem temporalem de introductione in terram Canaan non præstitit infidelibus parentibus, sed fidelibus liberis: quia promissio illa facta erat sub conditione fidei & obedientiæ.

4. Deus præscribit 40. annos peregrinationi in deserto, pro numero dierum, qui in exploratione terræ Canaan erant consumpti, quæ analogia nititur absoluto Dei jure.

CAPUT XV.

1. **D**Eus hîc præscribit rationem cultus, quia in nullo creaturæ potestate est verbo vel signo testari de voluntate Dei, citra patefactionem Dei.

2. Singulis victimis, id est, sacrificiis, pro peccato additur sacrificium Minhæ; ut significetur Christum in arâ crucis victimam factam debere nobis in cibum potumque fieri, per veram fidem, hæc enim sola facit, ut manducemus Christi carnem, non ratione *ἰσίας*, sed ratione *ἐνεργείας*.

3. Petulans violator sabbati hoc loco lapidatur, quia lex de sabbato stabilienda erat memorabili supplicio, quod in N. T. non licet imitari; quia dies festi non sunt pars cultus Dei in N. T. sed tantum pars ordinis & politicæ.

CAPUT XVI.

1. **S**chisma politicum & ecclesiasticum est ordinis turbatio, divinitus sanciti, & gravissimè punitur à Deo, si sit universale & proficiscatur ex animo malitioso & insanabili.

2. Moses excandescit irâ contra hos schismaticos, animo zelotypo gloriæ Dei, non verò iracundo. Moses enim fuit vir mitissimus, ut est *præced. cap. 12. v. 3.* Quod elogium ab ipso Mose haud dubiè insertum est. Ille siquidem à Deo doctus & iussus hoc scripsit, non verò *φιλαυπία* aliquâ ductus.

3. Etsi tota ecclesia est sancta: non tamen ideò gradus officiorum & donorum cessare debent, quo paralogismo Core cum suis complicibus utitur.

4. Core & ipsius gregales descenderunt in infernum, id est, absorbentur. Nam hæc pœna tantum fuit præludium inferni.

CAPUT

C A P U T X V I I.

I. **A**ron stans inter mortuos & viventes cum thuribulo, illustris imago est Christi stantis coram Patre, & deprecantis pro mundo, qui mortem æternam erat meritus.

2. Virga arida Aaronis germinans est. 1. Testimonium vocationis Aaronis divinitus eveci ad fastigium summi sacerdotis. 2. Typus Christi germinantis, de succisâ radice Jessæ. 3. Typus ministerii evangelii, quod etiam si profanis videtur esse vox arida, sterilis & evanescens, tamen germinat in cordibus electorum. 4. Imago resurrectionis gloriosæ.

C A P U T X V I I I.

I. **O**fficium & præmium debent esse correlativa, juxta illud Apostoli, *Qui servit altari, vivat de altari.*

2. Fuit hæc initio maledictio in tribu Levi, quòd dispergendi essent per omnes tribus, nec habituri certam fundorum possessionem, propter scelus Levi & Simeonis in occidendis Sichemitis admissum. *Gen. 49.* Sed maledictionem istam Deus vertit in benedictionem, juxta regulam: *Opera Dei sunt in contrariis mediis.*

C A P U T X I X.

I. **V**accæ rufæ immolatio, & aqua expiationis ex cineribus vaccæ confecta, figurant Christum, hoc modo: Vacca rufa, integra & abjuga, significat Christum rubentem igne claritatis, & sanguine satisfactionis, integrum & sine maculâ, in quem nullum fuit jugum impositum, quippe qui liberâ voluntate se obtulit Deo Patri. Porro vacca fuit deducta extra castra, & in cineres redacta, adjecto ligno cedrino, hyssopo, & coccino; ita Christus extra urbem sanctam fuit mactatus & quodammodo cineratus: ita tamen ut resurrexerit ad vitam

immortalem, quam figurat cedrus, & ut quasi hyssopo nobis aspergat sanguinem suum, quem adumbravit filium cœxineum. Hic quoque sanguis est aqua expiationis, quam Christus quotidie diffundit, ut puri sistamur ab ipso coram Deo patre: mera itaque est cacozelia, imò idololatria, quòd Papistæ hinc arcessunt fundamentum aquæ suæ lustralis.

C A P U T X X.

1. **E**cclēsia Dei educitur in solitudinem, non quòd ecclēsia catholica sit visibilis, sed quia ecclēsia catholica in V. T. ad certum populum erat astricta.

2. Moses debebat alloqui petram, non verò percutere. Percutit autem bis; & ita peccat, quia Deum non honorat fide intus, & obsequio foris. Nimirum regeneratio sanctorum in hâc vitâ non est absoluta sed inchoata: & ita fit, ut non solùm omnia eorum opera sint imperfecta, sed ipsi etiam sæpenumerò incidant in gravia & grandia peccata. Deus autem non vult nos in hâc vitâ perfectè regenerari, ut ipsi in solidum salus nostra accepta feratur, non verò nostris operibus.

3. Petra fundens aquas figurat Christum sacramentaliter. Hujus autem sacramenti usus fuit alius promiscuus, id est, communis hypocritis & credentibus: alius proprius credentium.

C A P U T X X I.

1. **I**Sraëlitæ primo congressu cladem accipiunt, quia Inempe Deum offenderant, quanquam hæc fuit potius levis velitatio, quàm justum prælium.

2. Vota sunt necessaria seu debita, ut est votum Christianitatis, id est, quodlibet votum morale: vel libera, ut votum abstinentiæ à vino. In hanc sententiam veteres votum definierant, propositum supererogantis promissionis Deo factæ, propter bonum finem ex deliberatione for-

ne for-

ne formatae. Et hoc votum est vel privatum vel publicum, item solenne vel non. Si privatum votum non praestatur, peccatum est, si solenne non praestatur, peccatum & scandalum est. Dixerunt autem has res supererogatas, quia non fiunt ratione officii simpliciter, sed ex libera voluntate.

3. Israëlitae ementiuntur suam de siti & inedia querimoniam, dicentes, *Quod tadiat ipsos vita*, propter cibarium illud levissimum, quod Deus ipsis è caelo ministrabat, quam horribilem ingratitude Deus punit immixtis diasadibus seu presteribus, qui morfu suo sitim inferebant, de qua ingrati isti cuculi querebantur. Caeterum manna, (quem Israëlitae appellant cibum levissimum) nihil commune habet cum hostiolis quas vocant, quia fuit panis caelestis.

4. Imago serpentis aenei non pugnat cum secundo praeepto, quod vetat, ne qua imago hominis auctoritate fiat, adorationis aut repraesentationis causa. Haec autem imago non homine autore, sed Deo; non adoranda, sed respicienda solum facta est; non ad repraesentandum essentiam Dei, sed efficaciam mortis Christi, cujus haec imago symbolum fuit sacramentale, non ordinarium, sed extraordinarium. Etsi autem hic serpens in ecclesia fuit asservatus, ut esset memoriale hujus historiae, tamen cum Israëlitae ad religiosum cultum illo abuterentur, rex Ezechias illum curavit perdi.

5. Curatio facta est non ex natura serpentis aenei (nam neque materia, neque forma naturalis vel artificialis eam vim in se habuit) sed ex institutione & ordinatione Dei, & ea quidem sacramentali, qua serpens ille figuravit Christum de cruce pendentem, ut respicientes in eum, hoc est, credentes, sanentur à morfu serpentis infernalis, quò pertinet regula: *Per qua Deus vulnerat, per ea quoque sanat.* Nimirum presteres sitim inexplebilem veneno suo adferentes, qua veluti flamma adurebantur, & tandem rumpebantur, sauciati figurant diabolum: serpens aeneus figurat Christum.

M 5

6. Liber bellorum Domini non fuit justus liber: sed recensio quædam, instar libri. Et verò, posito, quòd fuerit liber, non tamen fuit sacer, quia politicus fuit, multò minùs fuit liber in canonem scripturæ, seu in tabularium ecclesiæ, relatus.

7. Moses pacem offert Amoræis, cùm habeat mandatum ipsos delendi. Voluit enim Deus regis hujus immanitatem & obstinatam malitiam notam facere, ut judicii sui æquitas perspiceretur, ubi & illa teneatur regula: *Impii cùm ad pœnam maturuerunt, spontè sibi accersunt interitum, & in eum præcipites feruntur.*

C A P. XXII. XXIII. & XXIV.

I. **H**istoria Bileami continetur protasi, *cap. 22.* epitasi, *cap. 23.* & catastrophe, *cap. 24.*

2. Bileam fuit pseudopropheta mercenarius & magiæ cultor, qui initium suæ actionis ducere aggressus est à Deo tutelari Israëlitarum, hoc est, à Jehovâ. Porro hic pseudopropheta Jehovam appellat Deum suum, hoc est arbitrum sui negotii.

3. Deus non solum responsum dat suis filiis, sed etiam hypocritis. Nam lumen prophætiae pertinet ad illa Dei dona, quibus egregiè quidem exornantur, non autem sanctificantur homines, ubi est regula: *Deus non solum apparet suis, sed etiam suorum causâ non suis, id est, inimicis suorum, sive puniturus, sive correcturus, sive denique ea, quæ ex usu sunt ecclesiæ suæ, procuraturus.*

4. Deus primâ vice prohibet, ne Bileam conferat se ad Balakum, alterâ vice præcipit. Ratio prohibitionis est: ut ostendat sibi displicere intentionem Balaki; ratio præcepti est, ut ostendat sibi placere benedictionem populi.

5. Asina videt corpus, quod angelus ex dispensatione Dei assumserat, Bileam non videt: quia Deus oculos asinæ aperit & vim quandam supernaturalem tribuit, quam negat Bileamo ad tempus. Hinc itaque malè concludi-

cludi-

cluditur: unum idemque corpus v. 9. Christi uno eodemque tempore esse invisibile & visibile. Nam primò nullum est argumentum à corpore dispensativo ad corpus organicum. Deinde causa visibilitatis & invisibilitatis & ipsa est in dispensatione Dei.

6. Deus, qui est supra naturam, potest extra ordinem inferiori creaturæ tribuere, quod est superioris, non communicando proprietatem, sed supplendo defectum formæ, quæ efficit proprietates. Sic asina loquitur, non per causam aliquam internam, sed externam sibi supervenientem. Deinde, cum diabolus per serpentem, *Gen. 3.* ac per res mutas ac brutas sæpè responsa dederit, quid mirum est, si Deus hoc idem faciat.

7. Per asinam loquens Deus præfiguratur se stulta coram mundo eligere, ut confundat sapientes.

8. Deus occurrit Bileamo ad magicas artes & incantationes se convertens, non quòd ejus magica approbaret, sed ut Bileamum reluctantem in ordinem cogeret. Tametsi autem maledictio magica non obfuisse populo, à quo Deus omnia mala volebat averruncare, tamen à Deo impeditur, ut etiam benedictionem ab hoste contrà nitente eliciat.

9. Communicatio Spiritus Sancti est triplex: Universalis in rerum omnium creatione ac gubernatione: communis, quâ in hominibus piis juxta & impiis singulares efficit motus: denique specialis quæ electos sanctificat. Primum modum efficit sine sanctificatione: tertium nunquam sine sanctificatione: secundum verò in electis efficit cum sanctificatione, in hypocritis citra sanctificationem. Nimirum ubi Spiritus Sanctus agit, sanctus est; sed non ubicunque agit, sanctificat. Ita hoc loco Spiritus Sanctus in Bileamo efficit claram visionem propheticam.

10. Prophetia Bileami partim evangelica, partim legalis, sancta est: quia ab eodem profecta & ab eodem in canonem relata.

11. Stella oritura ex Jacob, & virga processura ex Is-

raël, corporaliter & temporaliter, in Davide & Salomone; spiritualiter & in perpetuum in Christo est consummata. Cæterùm hoc vaticinium Bileami manavit ad ipsas gentes, unde & illæ habuerunt gustum de Christo.

12. Bileam cùm non posset nocere Israëlitis maledictis, nocet consulto, sive consilio. Est itaque speculum eorum, qui peccant in Spiritum S.

C A P U T X X V.

1. **F**ornicatio corporalis ferè secum trahit fornicationem spirituales, quia Deus ab homine desertus ipsum deserit, intellige desertionem punitionis & castigationis, non verò probationis.

2. Viginti quatuor millia Israëlitarum occumbunt: nimirum viginti tria millia ex populo (quem numerum Apostolus 1. Cor. 10. exprimit) & quasi mille ex primoribus.

3. Pinehas extraordinario zelo correptus, interficit scortatorem & scortum: Itaque non fuit πολυπράγμων. Neque ipsius exemplum trahi potest in regulam.

C A P U T X X V I.

1. **T**ertius populi census instituitur, ut hæreditas terræ Canaan ex æquo dividi queat.

2. Divisio, proprietas, & dominium rerum est ex ordinatione divinâ: quicquid contra disputent Anabaptistæ. Caritas quidem facit omnia communia, sed non sua deserendo, verùm in commune conferendo, hoc est, sua quidem retinendo, necessitates autem proximi sublevando.

3. Deus jubet dividere terram, quam nondum occupaverant Israëlitæ, ut commendet certitudinem promissionis suæ; & doceat nos tam certo regnum cælorum nobis per fidem polliceri debere, quàm si id ipsum actu jam possideamus. Idem est iudicium de promissionibus Christi in V. T. factis.

4. Deus

4. Deus jubet sorte dividere terram ad evitandas discordias, & hic est usus sortium politicus, præter quem datur etiam ecclesiasticus, e. g. *Actor. i.* Uterque autem est ordinarius vel extraordinarius, quod attinet ad sortes divinatorias, illæ sunt illegitimæ.

C A P U T X X V I I.

1. **J**us feudale est commune vel proprium. Commune est, quod nititur jure gentium: ut semper proximi succedant. Proprium vel est Mosaicum, vel cuique nationi peculiare. In hoc capite præscribuntur hi gradus, 1. Legitimi hæredes proximi sunt filius. 2. Si non sunt filii, hæreditas ad filias transit. 3. Quòd si ne filia quidem sint, hæreditas ad patruos transitura est. 4. Si defint patrum, ad abpatruos. 5. Si ne abpatrum quidem sint, ad alios propinquos cujus institutionis finis est, ut hæreditatis ratio integra apud tribules serveretur.

2. Moses in montem jubetur ascendere, & inde prospicere terram. Eam verò non est ingressus ob diffidentiam, & verò hoc ipso figuratur non Mosis legem sed evangelium Christi nos perducere ad justificationem & glorificationem.

3. Jehova est Deus spirituum omnis carnis, id est, est primus motor in regno potentia, gratia, & gloria; supeditans nempe omnia, quæ pertinent ad vitam naturæ, gratia, & gloria.

4. Populus sine magistratu est tanquam grex sine pastore, magistratus itaque est necessarius in V. & N. T.

5. Josua sinitur Eleazaro, & jubetur ipsum consulere. Hinc verò non sequitur Imperatores & Reges subijci Papæ, tum quia translato sacerdotio cessavit jus sacerdotii *Heb. 7.* Tum quia Papa non succedit Elea-

zaro, tum denique quia summus pontifex

poterat consulere Dominum per

Urim & Tumim.

C A P U T X X V I I I.

1. **D**Eus dicit: *Oblatio mea est*: scil. instituto & dono: quia nemo utiq; suum offert Domino, sed quod offert Domini est, & non tam sua quis offert Deo, quam ipsi reddit, quæ ejus sunt. Impius ergo est, qui putat se in offerendo aliquid conferre Domino, & hoc pertinet ad universam rationem cultus interni, juxta & externi.

2. Victimæ significant Christum esse victimam; sacrificia cibatoria significant, eundem esse cibum. Factus est autem Christus victima in cruce, & fit cibus in ministerio verbi. Utrobiq; autem requiritur fides.

C A P U T X X I X.

1. **F**estum clangoris, sive tubarum, significat universum mysterium evangelii, speciatim prædicationem Johannis Baptistæ, quæ præcessit sacrificium expiationis Christi.

2. Jejunia Israëliitarum non erant aliquorum ciborum, sed omnis; non aliquot dierum, sed unius dumtaxat; non ut expiarent peccata, sed ut serius esset dolor peccatorum, & eò paratiores essent ad preces aliaque pietatis exercitia. Itaque jejunia quæ Papa sancit, sunt dissimilia jejuniorum, quæ Deus in V. T. instituit.

3. Holocaustum dicitur sempiternum, quia quotidie erat offerendum, quàm diu durabat politia Mosai-ca: Et quia significabat sacrificium Christi, cujus virtus semper durat, & cujus memoria quotidie per ministerium verbi & sacramentorum & fidem renovari debet.

4. Sacrificia septimi mensis, eâ œconomiâ offerebantur, ut numerus juvenorum in singulos dies uno fuerit diminutus. Hâc ceremoniâ significabat Deus, gratiam suam de die in diem crescere: ita nempe ut minuatur vetus homo, & novus augeatur, prout nempe exposcebat Judæorum expurgatio & sanctificatio, minoribus adhibitis ceremoniis.

C A P U T

C A P U T X X X.

1. **V**Otum est rei, vel actionis; affirmans vel negans; simplex vel juramento conjunctum. In hisce autem votis omnibus jubet Deus, ne Israëlitæ profanent verbum suum, videlicet in vovendo aut post votum ipsum. In vovendo profanat, quisquis rem sibi aut factum aut jure impossibilem vovet; post votum profanat verbum suum, qui non præstat illud, aut non dat quod spondit se daturum, aut non facit quod vovit facturum. Itaq; si quis aliquid voveat mali, vel substantiâ vel modo; istud votum non est secundum Deum, nec est tam votum, quam species voti. Quare hujus modi votum vovere injustum est, præstare adhuc injustius. Non enim est malum malo cumulandum, sed à malo præstat primo lapsu excedere, quam in secundum insuper ruere. Hujus loci est regula: *Quidam peccant voto, quidam vovendo: voto, ut si quis voveat rem impossibilem; vovendo, ut si quis voveat rem sibi impossibilem.*

2. Conditiones voti sunt, 1. ut res honesta, Deo placens; nec prohibita lege Dei, & quæ sine peccato præstari possit, Deo promittatur. 2. ut salvo jure superioris fiat. 3. ut consultò & sponte suscipiatur, non à coactis aut errantibus. 4. ne quid voveatur impossibile. 5. ut fiat de re, quam vovens promittere potest, ne quid de alienâ voluntate, quam vovens non habet in suâ potestate, polliceatur. Itaque vota quæ manifestò impia, vel impossibilia, vel superstitiosa, vel talia sunt ut impediunt summum votum, ea inquam profcindere oportet, & non implere.

3. Deus in hoc capite imprimis urget conditionem illam, ut qui vovet, sui sit juris. Nam qui in alienâ est potestate, v. gr. patriâ, herili, & maritali, non potest amplius juris conferre quam habet. Proinde si quid est quod à voluntate alienâ pendet, votum illud omni jure pro impossibili est habendum, nisi is cujus est potestas,

ratum habeat, aut vovens ratum habeat, cum factus est sui juris.

C A P U T X X X I.

1. **D**Ei est vindicta, & cui ille vindictam mandat, ut hoc loco Mofi.

2. Deus jubet interficere viros, uxores, & parvulos, exceptis virginibus. Ratio prioris est, jus Dei partim absolutum, quia habet potestatem vitæ & necis; partim ordinatum, quia omnes illi erant peccatores. Ratio posterioris est, quia voluit ostendere summam suam libertatem & bonitatem.

3. Tametsi cædes Israëlitarum à Deo erat mandata, tamen milites jubentur sese emundare, ut significetur, tantam esse naturæ nostræ corruptionem, ut etiam bona opera facientes, non nihil tamen peccati admisceant, & expiatione Christi indigeant.

4. Milites qui fuerant in expeditione, contra Midianitas, jubentur prædam ex æquo dividere cum iis qui remanserant in castris, quia utrique operam dederant reipublicæ; illi quidem offendendo, hi autem defendendo. Deinde divisio fuit instituta secundum proportionem geometricam, non verò arithmeticam.

C A P U T X X X I I.

1. **H**Oc caput est speculum disceptationis forensis, cujus hæc debet esse regula: *Judicialis actus temperetur fraternâ charitate.*

2. Munitiones extruere licet, sed in illis confidere non licet.

C A P U T X X X I I I.

1. **I**Tinerarium Israëlitarum, sive ipsorum castra metationes, profectiones, stationes, & mansiones, numero 42. primò sunt monumenta & testimonia veritatis Dei, & feritatis populi: documenta inquam sapientiæ & po-

& potentiæ Dei, in educendis Israëlitis ex Ægypto, & deducendis illis in deserto; infirmitatis & impietatis populi peccantis; denique bonitatis & misericordiæ Dei temperatæ variis judiciis erga peccantes & resipiscentes. Porro hoc idem itinerarium prodest nobis, ut fidem & patientiam in adversis inde discamus. Nam quod fuit Israëlitis profectio ex Ægypto & erratio in deserto ad varia loca, itemque miraculosa conservatio, donec pervenerunt ad terram promissam: hoc nobis est commo- ratio in hoc mundo, (qui est desertum) & variorum periculorum objectio, & divina protectio, docec tandem perveniamus ad cœlestem patriam.

2. Mandatum Dei de Cananæis funditus extirpan- dis est speciale, quia terra Canaan erat perpurganda à quisquiliis, ut esset domicilium ecclesiæ & typus cœle- stis patriæ.

3. Sortes divisorix & consultatorix sunt licitæ, divi- natorix non item.

4. Sicut Deus omnia in hoc mundo fecit, certo nu- mero, pondere, & mensurâ, sic quoque singulis attri- buit bona animi, corporis, & fortunæ. Oportet itaque singulos esse suâ sorte contentos. Nam omnia coram Deo æqualiter sunt ordinata & distributa, utut nobis videantur inæqualia. Et verò quando aliqua inæquali- tas existit propter peccata nostra, ista inæqualitas tan- dem reducetur ad æqualitatem.

C A P U T X X X I V.

I. **S**orte dividitur terra, ut intelligatur esse divina largitio.

2. Terra Canaan consideratur historicè, allegoricè, tropologicè, & anagogicè. Historicè, id est literaliter, quatenus fuit attributa Israëlitis ut esset velut arx eccle- siæ, in meditullio orbis terrarum inter florentissima & inimicissima regna, putà Ægyptiacum, Babylonicum, Persicum &c. ut inde doctrina cœlestis in omnes cir-

N

cumjectas regiones posset aliquando propagari; & ut certus locus esset notus, in quo Messias nasceretur & nosceretur, cujus terra ista fuit hospitium & schola. Allegoricè: quia ut hæc regio fuit angusta, utpote cujus longitudo non multùm triginta milliaria germanica excedit, latitudo autem vix decem aut duodecim assequitur, & variis montibus, tanquam propugnaculis, fuit prædita, & inter multifarios hostes mansit florentissima; & denique lacte & melle fuit referta: sic ecclesia est pusillus grex, & munitur præfidiis Dei & angelorum, & hostium suorum furores eludit & elidit, & denique infinitis Dei donis est conspicua. Tropologicè: quia, ut populus Israël expulit Cananæos ductu divino: ita nobis in ecclesiâ constitutis expellendi sunt hostes, diabolus, mundus, & caro, idque auspiciis Dei. Anagogicè: quia sicut terra Canaan fuit gratuita largitio, omnis generis bonis referta; sic patria cœlestis, cornu illud copiarum beatitudinis, acquiritur purâ putâ gratiâ.

3. Josua & Eleazar præfunt divisioni terræ, & Eleazar quidem ob causam figuralem, & moralem. Figuralis est: quia ut Eleazar præest divisioni terræ Canaan: ita Christus præest hæreditati filiorum Dei. Moralis est ratione ordinis, consilii, & sanctificationis. Ordinis, quia sacerdotibus pars aliqua cedebat ex singulis tribubus. Consilii, quia si qua oriebatur controversia, ut in dividendo fieri solet, Eleazar consulebat Dominum. Sanctificationis, quia tota illa actio invocatione nominis divini suscipienda & gratiarum actione terminanda erat.

C A P U T X X X V.

1. **U**Rbes Levitis assignatę docent ministris verbi non tantum deberi alimoniam, sed etiam habitationem: & hoc est morale. Huc accedit ceremoniale istud, quod Levitæ dispersi fuerunt per omnes tribus, & hoc ipso suo peculio figurarunt possessionem ecclesię, quam Christus habuit.

2. Asyla

2. Asyla habent causam moralem & ceremonialem. Illa est, ut pateant homicidis involuntariis. Hæc, ut figurent refugium nostrum ad Christum.

3. Quod in asylo manendum fuit usue ad mortem summi sacerdotis, causam habet mysticam, quia mors Christi reduxit in patriam qui inde exulabant, & effecit ut omnes fiamus unum.

CAPUT XXXVI.

Non simpliciter prohibetur enuptio, sed ne filia quæ propria habet feuda, extra suam tribum abnuat. Itaque hæc lex est universalis, ut omnes puellæ, quibus accidit hæreditas in tribu suâ, nubant uni ex tribulibus, ut penes istam tribum maneat hæreditas. Huc accedit, quòd Deus ita consuluit genealogiæ Messiæ, nascituro ex tribu Juda.



DEUTERONOMIUS.

CAPUT I.

1. **E**X versu tertio collato cum capite ultimo hujus libri & cum libro Josuæ, deprehendimus historiam Deuteronomii paucorum fuisse dierum: ita nempe, ut prima pars hujus libri contineat historiam diei primi, mensis undecimi, anno 40 ab exitu ex Ægypto, quatuor primis capitibus. Secunda historiã diei secundi ad caput undecimum. Tertia historiam quatuor dierum ad c. 26. Quarta historiam unius diei, cap. 27. 28. Quinta item diei unius, cap. 29. 30. Sexta similiter diei unius, cap. 31. 32. 33. ultima historiam luctus triginta dierum, cap. 34.

2. Moses gratiam Dei erga populum narrat, ratione vocationis & ductus divini ex vocatione, ubi notetur regula: *Vocatio Israëlitarum ex Ægypto, & ductus ipsorum*

N 2.

in deserto, itemq; ductus in terram Canaan, consideratur historicè & typicè.

3. Non quia parvuli non nōrunt discrimen boni & mali, ideò non habent peccatum originis, aut non debent baptizari. Nam peccatum originis consistit in defectione & corruptione nativâ, adeoq; in propensione ad malum, non verò in actuali notitiâ: & pædobaptismus nititur promissione fœderis gratuiti, quæ facta est parentibus & liberis confœderatis.

C A P U T I I.

1. **D**Eus interdicit Israëlitis, ne Moabitas, Ammonitas, & Edomæos infestent & lacesant bello: quia erant ipsorum fratres ex Lotho & Esavo. Huc accedit, quòd ecclesia militans & visibilis hâc ratione ad vivum depingitur.

2. Deus dicitur indurasse spiritum regis Sihon, & obfirmasse cor illius, non quòd ex molli & tractabili effecerit durum & intractabile, sed quia non largiendo spiritum, reliquit ipsum impietati suæ, & simul objecit ipsi verbum suum. Quemadmodum enim qui oculos habent infirmos, quantò sol magis splendet, tantò magis cœcutiunt: Ita qui suâ culpâ duri sunt, magis duri fiunt, si vel verbo, vel beneficio, vel iudicio Dei stimulentur. Etsi ergò vitiositas in homine, & Deus extra hominem sunt causæ concurrentes ad idem opus, non tamen eodem concurrunt modo.

C A P U T I I I.

1. **I**Ta debemus quærere commoda, ut incommoda nō detrectemus, exemplo Rubenitarum & cæterorum. Odiosum enim est hominum genus, qui suis commodis ita student, ut contentur omnia incommoda in alios derivare. Hi quòd plura commoda aliorum incommodo sibi parare videntur, eò pluribus incommodis obruuntur.

2. Moses

2. Moses quidem petit à Deo, ut posset introire in terram Canaan, sed repulsam fert, non quòd Deus ipsum abjecerit, sed quia precatio ista non erat necessaria ad salutem ipsius.

CAPUT IV.

1. **I**N hoc capite & sequentibus aliquoties inculcatur illud: *Custodi praecepta mea &c. ut faciens ea, vivas.* Quâ repetitione ostenditur carnis nostræ pigritia & tarditas in discendo & obediendo, & insuper exponitur finis legis, quatenus illa subordinatur fœderi evangelico, ut nempe implendo conditionem fœderis gratuiti secundariam, consequamur, non verò mereamur, vitam æternam.

2. Scriptura, seu Canon Mosis, fuit corpus perfectum ratione populi præsentis. Quoniam ab ipso populo nihil quicquam ultra requirebatur vel credendum vel faciendum. Explicare pluribus verbis legem aut evangelium, non est aliquid addere verbo Dei. Sic prophætæ & apostoli nihil addiderunt Mosis, sed ejus doctrinam illustrarunt. Deinde solus Deus habet potestatem plura capita revelandi, vel etiam quasdam instituti cultus partes abrogandi: non tamen mutatâ substantiâ doctrinæ vel cultus.

4. Gens magna appellantur Judæi, non per se, sed per communicationem gratiæ Dei, cujus modus est duplex: unus in præsentia Dei, alter in voluntatis & sermonis communicatione positus.

5. Deus ait: Se nullam sui speciem sive similitudinem ostendisse populo, quia formæ, in quibus apparuit, non essentiam immensam, sed præsentiam ipsius intensam adumbrarunt.

6. Ira Dei est ignis consumens. Ut enim unus idemque ignis suâ naturâ fovet & consumit, prout objectum variat: sic eadem Dei essentia fovet bonos & consumit malos. Deinde sicut ignis omnia obstacula perrumpit,

fic iræ Dei nihil potest resistere. Hinc patet justitiana punientem esse Deo essentialem. Nam ira Dei est essentia Dei iniquitatem puniens, odium Dei est essentia Dei iniquitatem averfans.

C A P U T V.

1. **M**Oses fuit sequester seu mediator inter Deum & populum, quantum ad annuntiationem, non verò impletionem legis. Itemque quantum attinet ad intercessionem typicam.

2. Moses in narratione Decalogi quædam addidit, ut præcepto quarto; quædam transposuit, ut præcepto decimo, quia repetitio Decalogi est potius materialis quàm formalis.

C A P U T V I.

1. **C**ommendatio & commentatio primi præcepti in Decalogo est, *cap. 6.* secundi, *cap. 7.* omnium universè, *cap. 8.*

2. Lex requirit harmonicam omnium partium in homine consensionem, putà intellectus, voluntatis, & facultatum omnium, id est, cordis, animæ, & virium, quam quidem consensionem, in hâc vitâ per Dei gratiam præstamus sincerè, non autem absolutè. Ita ut frustra sint sophistæ, quando ajunt, nos præstare legem Dei perfectè, quoad substantiam actus, non verò quoad intentionem Dei præcipientis.

3. Deus commendat verbi sui reverentiam tribus modis. 1. ut illud inscribamus cordi nostro, & ita simus epistola, digito Dei scripta. 2. ut illud inculcemos liberis, quemadmodum nutrices cibum præmansum ingerunt in os parvulorum, idque omni loco & tempore. 3. ut sanctum hoc exercitium typis quasi sacramentalibus excolamus, alligando verbum illud ad manus, oculos, frontes, imò & postibus portisque inscribamus. Quâ pædagogia significatur, quocunque oculos convertemus, &

mus, & manum admovemus, semper verbum Dei nobis prælucere debere, illoque omnes nostras actiones omniaque nostra bona esse sanctificanda.

4. Solus Deus est adorandus religiosè, & illi soli serviendum. Nihili ergo est distinctio sophistarum inter *λατρείαν* & *δουλείαν*, præsertim, quia *λατρεία* in N. T. tricies, *δουλεία* tricies novies Deo attribuitur.

5. Tentare Deum est primò in doctrinâ discedere ab ordinationibus divinis, propriâ curiositate & fiduciâ propriæ sapientiæ. Secundò nolle verbo Dei acquiescere, nisi novis confirmetur miraculis. Tertiò in cultu eligere *ἑβελοτροσκείαν*. Quartò in consiliis & actionibus relinquere media à Deo ordinata. Quintò in periculis præscribere Deo locum, tempus, & modum liberationis.

6. Observatio mandatorum Dei nobis est justitia nostra, non quia observavimus, sed cum observavimus. Prior illa justitia est legalis: posterior evangelica. Nos enim cum animis nostris sumus conscius justitiæ illius salutaris à Deo collatæ, ex veris fructibus, hoc est, promptâ mandatorum Dei executione.

CAPUT VII.

1. **C**AUSA electionis non est nostra dilectio, quâ Deum antevertimus, sed nostri dilectio, quâ ille nos antevertit. Verum est, electio semper est melioris, scilicet quod melius est ex judicio eligentis, vel ex qualitate eligendi. Prior causa hîc obtinet, ipso Deo asseverante.

2. Deus jubet debellare Cananæos ore gladii, quia jam erant anathemata. In N. T. debellandæ sunt gentes idololatriæ gladio oris, id est, spiritus.

3. Instrumenta idololatriæ sunt vel suo genere mala, ut altaria & vasa gentilium, & altaria missificorum; vel indifferentia, ut patinæ & calices in Missâ. Priora sunt planè tollenda: posteriora sunt extollenda, id est, con-

vertenda in legitimum usum eucharistiæ, vel in sustentationem pauperum.

C A P U T V I I I .

1. **D**Eus tentat, diabolus tentat, homo tentat. Deus tentat bonos ex causâ probationis, malos ex causâ reprobationis. Diabolus tentat, quatenus à Deo accipit jus tentandi, vel ex causâ probationis, quantum ad fideles, vel ex causâ reprobationis, quantum ad infideles. Homo tentat Deum malè, alios homines tentat bene vel malè.

2. Vita nostra pendet partim ex pane, id est, ex mediis ordinariis, partim ex verbo Dei procedente ab ore Jehovæ, id est, ex vi benedictionis divinæ, quæ appellatur verbum Dei practicum.

3. Magnifica descriptio terræ Canaan, non oculis carnis, sed oculis fidei erat aspicienda, id est, erat consideranda non historicè tantùm, sed etiam typicè.

C A P U T I X .

1. **D**Eus introduxit populum suum in terram promissionis, non propter merita ipsius bona, sed propter merita Cananæorum pessima, & abundantiam suæ gratiæ.

2. Moses combussit aureum vitulum, & projecit in amnem, bibendumque dedit populo, non autem in usus pauperum convertit; quia illud pertinebat ad ignominiam idoli, & pudorem populi, qui deos suos bibebat.

3. Moses confregit tabulas fœderis, non ex infirmitate iræ, sed ex voluntatis divinæ revelatione, quia nempe fœdisfragis nihil proderat instrumentum fœderis faciendi.

C A P U T

CAPUT X.

1. **I**nstauratio tabularum fractarum notat legem Dei sic inscribi cordibus, ut & ipsa corda nostra per gratiam Sp. Sancti & donationem ministerii fiant arculæ, capsulæ, domicilia & sacraria legis divinæ.

2. Aaron dicitur mortuus in Mosarâ, cum *Num. 20. & 33.* in monte Hor mortuus asseratur, quia Mosara continuatur ambitu Hor. Itaque hîc Moses loquitur *ὡς ἐξήιστα & ἐν τῷ πω, ibi ὡς ἀκέρβετελα.*

3. Deus populum jubet, ut circumcidant corda sua & cervicem suam non indurent; quia nempe jubendo juvat.

CAPUT XI.

1. **M**agnalia Dei sunt vel potentia, vel gratia, vel gloria.

2. Deus proponit nobis benedictionem & maledictionem, ut nos excitet. Excitat autem nos partim internè, gratia suâ operante, partim externè, variis nempe præceptis, quæ nobis non *κατὰ τὸ ἀκέρβες*, sed *κατὰ τὸ ἐπιεικὲς* spectanda veniunt.

CAPUT XII.

1. **D**eus jubet lucos & similia ipsorum instrumenta succidere, non ut armet inconsideratam multitudinem potestate inordinatâ, sed vult id fieri publicâ auctoritate.

2. Deus alligavit Israëlitas primò ad unum tabernaculum, & postea ad unum templum, tum, ne diversa templa quærendo diversis religionibus implicarentur, tum ut significaretur extra Christum nullam esse expiationem. In N. T. autem non æquè certus locus est definitus cultui divino, *Johan. 4.* tum quia major lux est quàm fuit olim, tum quia lux illa dispersa est per totum mundum.

N 5

3. Quòd *Act.* 15. etiam Christianis esu sanguinis fuit interdictum, in gratiam infirmorum Judæorum est factum.

4. Addere aliquid verbo Dei furor est & audacia, ut ait Theodoretus: explicare autem quæ patefacta sunt, & absconditam sententiam patefacere, sanctum & pium est. Porro præceptum illud obligat non modò populum, sed etiam præfectos ecclesiæ: quia Moses ipse fuit obligatus ad hoc præceptum. Denique licet præfecti ecclesiæ possint condere agenda ecclesiastica, sed ita ut illa non suppleant verbum Dei, sed explicet ordinem externum ecclesiæ juxta verbum Dei.

C A P U T X I I I.

I. **Q**uinq̄ue sunt genera vaticiniorum. 1. Divina & ecclesiæ propria. 2. Physica & astrologica. 3. Politica, quæ ex prudentiâ & rerum usu nascuntur. 4. Diabolica. 5. Superstitiosa, quæ nituntur fundamento ridiculo.

2. Deus permittit, ut sint pseudoprophetæ, ut palam fiat sinceritas & constantia verè fidelium, non ut ipse sciat, quem nihil latet, sed ut nos scire faciat, quantum in ipsius dilectione profecerimus; denique ut pudefaciat hypocritas. Itaque finis hujus tentationis est partim patefactio, partim pudefactio.

3. Prophetis, qui revelationes & doctrinas novas promulgant, non est credendum, ne miracula quidem edentibus: quia miracula divina divinam doctrinam præsupponunt, tanquam normam sui.

4. Miracula Satanæ aut sunt meræ imposturæ & præstigiæ, aut mediis naturalibus, occultâ nempe operatione diaboli, fiunt. At miracula divina superant cursum naturæ universalis & particularis, & requirunt vim creatricem.

5. Magistratus in N. T. æquè ac in V. T. accepit jus gladii ad puniendum blasphemias publicas, externas, & notorias, præsertim si seditio accesserit.

C A P U T

CAPUT XIV.

1. **H**Oc capite & duobus sequentibus præscribuntur jura ceremonialia.

2. Deus populum suum voluit separari à gentibus, partim habitu, partim victu, quasi quâdam professione publicâ, & ut notus esset populus, ex quo Christus erat nasciturus. Itaque qui in N. T. urgent discrimen ciborum, & similes ritus Leviticos, illi reducunt umbras V. T. & ecclesiam N. T. spoliant suâ libertate.

3. Omnes ritus in luctu mortuorum sunt vitandi, qui sapiunt superstitionem & obscurant spem resurrectionis.

4. Sicut Israëlitis immunda erant animalia, quæ non ruminant, & ungulas non findunt, sic doctrina illa est impia in religione, quæ non est ruminata & ritè dissecta.

5. Omnia sunt munda ex creatione, & mundis omnia sunt munda ex verbo sanctificationis. At Judæis quædam erant immunda ob interdictum particulare & temporale.

6. Decimæ erant offerendæ, vel si longiùs habitarent Israëlitæ, vendendæ & pecunia Hierosolyman transportanda: ut essent testimonium pietatis erga Deum, & charitatis erga ministerium ecclesiasticum.

CAPUT XV.

1. **S**Eptimus annus significabat regnum Christi, in quo Somnes veri Israëlitæ, hoc est, credentes in Christum, liberi sunt à debitis peccatorum.

2. Verba ista: *Omnino indigens & mendicus non erit inter vos*: non continent promissionem, sed præceptum, ut patet ex sequentibus. Nimirum in quâvis republicâ bene constitutâ, curandum est, ne quis tantâ paupertate opprimatur, ut panem ostiatim mendicare cogatur: & ita conciliatur versus quartus hujus capituli cum versu undecimo.

3. Vox **עלמ** non semper absolutam, sed sæpe limitatam & periodicam perpetuitatem significat, secundum conditionem rei, cui adjungitur, ut *vers. 17. Serviet tibi in aeternum*, id est, per totam vitæ suæ periodum vel saltem usque ad Jubilæum.

4. Primogenita, quæ vitium aliquod habebant, noluit Deus sibi offerri, ut significaret sanctitatem Christi inhærentem & sanctitatem credentibus imputatam.

C A P U T X V I.

1. **S**olennitas paschalis erat septemdialis & distinguebatur in pascha agni & pascha bovis atq; arietis.

2. In festo pentecostes offerendum erat Missah, hoc est, tributum spontaneum, quo populus profitebatur subjectionem sui spontaneam. Hinc itaque malè arcesitur fundamentum missæ Papisticæ, nisi fortè fateri velint missam esse tributi exactionem, quæ in ecclesiâ N. T. est turpis Simonia.

3. Institutio magistratuum in populo Dei præter morale habebat aliquid singulare, quod est in tali ordine politico: & hoc posterius expiravit.

C A P U T X V I I.

1. **H**oc capite & tribus sequentibus describuntur jura judicialia.

2. Cognitio causarum ecclesiasticarum & ecclesiasticopoliticarum à judicibus subalternis devolvebatur ad summum judicem, id est, sacerdotem, qui erat summus, ratione Sanhedrim, itemque ratione Urim & Tumim. Præterea summus ille judex non ex arbitrio, sed ex præscripto legis judicabat. Hinc itaque non stabilitur immensa potestas episcopi Romani.

3. In causis criminalibus & capitalibus unus testis, nullus testis; secus in civilibus.

4. Lex regia politicè dicitur, quæ continet officium regis, ut hoc in capite: Lex regia metaphoricè dicitur,

Jaco-

Jacobi 2. quæ est tanquam via regia, plana videlicet & absque diverticulis.

5. Deus cavet, ne alius rex præficiatur quàm de populo Dei, argumento civili & ceremoniali. Civili: quia intraneus est amantior patriæ quam extraneus. Ceremoniali, quia indignum erat hæreditatem cœli & soli periclitari regi extero.

6. Electionem regis Deus sibi soli vindicat: institutionem verò sive ordinationem populo tribuit. Populus itaque abnormiter peccavit *1. Sam. 8.* inordinate petendo regem.

7. Deus non interdicit regi copiam equitatus, sed fastidiosam curam multiplicandi illius & infidelem fiduciam in illo. Nominat autem equitatum potius quam aliud quippiam, quia regnum *Ægypti* erat nobile equitatu, & equitatus fermè potentiam significat, quâ principes solent confidere.

8. Polygamia adversatur juri divino; quia prohibetur potentioribus *vers. 17. hujus cap.* item privatis *Levit. 18. v. 18.* Denique omnibus, *Malach. 2. v. 14.* Cur verò Deus toleravit polygamiam? *R.* Quia hoc dispensationis modo voluit testatum facere, se dissimulare nævos filiorum suorum.

C A P U T X V I I I.

1. **Q**uemadmodum servis non sunt possessiones mancipii, seu proprietatis jure: Ita sacerdotibus seu Levitis non erant possessiones proprietariæ lege mancipii, utpote qui erant servi *Jehovæ*. Alioqui penes ipsos erant possessiones duobus nominibus, videlicet ratione ususfructus, itemq; usus & habitationis.

2. Quemadmodum Levitæ non poterant migrare ab unâ Synagogâ in aliam, arbitrato suo; sed tantùm certâ necessitate, adhibitâ cognitione, consensu judicioq; ecclesiæ ubi agebant: Ita hodie idem observare debent ministri ecclesiarum.

3. Novem abominationes gentilium hoc loco ita recensentur, videlicet mactantes hostias humanas, divinaculi, planetarii, conjectores, præstigiatores, ligatores, ventriloqui, arioli, & necromantæ.

4. Bellarminus & reliqui Papistæ necromantas agunt, quando purgatorium probant ab apparitionibus animarum, quia Deus disertè hîc cavet, ne quis veritatem sciscitetur ex mortuis.

5. Propheta qui hoc loco promittitur, non est Josua, ut evincitur ex *Deut ultimo v. 11*. Non autem est alius nisi Christus, quia ille solus fuit sicut Moses, educendo populum Dei ex Ægypto spirituali, & deducendo per desertum hujus mundi, & mediatorem agendo, & denique familiarissimè cum Deo conversando.

6. Miracula si non eveniant, sunt notæ falsorum prophetarum, *v. 22. hujus capituli*. Veruntamen si eveniant, non sunt notæ verorum prophetarum, nisi cum lydio lapide verbi Dei consentiant, ut vidimus suprâ *cap. 13*. Neque verò hoc modo periclitatur autoritas Esaiæ & Jonæ, quia ipsorum prophetiæ implexam habuerunt conditionem.

C A P U T X I X.

I. Ut in homicidiis, ita quoque in aliis peccatis dantur varii gradus, quos in theoriâ & praxi distinguere est necessum.

2. Lex de regendis finibus, seu de non movendo termino, est juris divini & gentium.

3. Falsi testimonii dictio, quatenus contra religionem venit judicatur à sacerdote: reliqua permittuntur judici.

4. Falso testi irrogatur supplicium talionis, hoc est, ut quam pœnam luiturus fuisset reus, si verum dixisset testis, eandem subeat testis, qui falsum dixerit.

C A P U T

CAPUT XX.

1. **Q**uia Deus artem bellandi certis legibus moralibus, civilibus, & ceremonialibus informavit, bellum suâ naturâ & moraliter non est malum.

2. Bellum justum non repugnat charitati, sed est summum opus charitatis, quia pro religione vel regione geritur.

3. A temporali excidio Cananæorum ad æternum ipsorum exitium nostrates rectè nectunt consequentiam: quia gentes istæ erant impœnitentes, & figurabant omnes hostes ecclesiæ. Quare hæc argumentatio non est latiùs extendenda, quàm par est.

CAPUT XXI.

1. **I**n homicidio incomperato magistratus tenetur inquirere ex nobili officio.

2. Expiatio cædis incomperatæ facta fuit per sacrificium in eo loco, ubi inventum fuit cadaver. Nam hæc talis expiatio fuit extraordinaria, & proinde non potuit fieri in loco ordinario, id est, in templo Hierosolymitano.

3. Judæi poterant ducere mulierem Cananæam in uxorem, quæ formæ erat commendabilis; veruntamen hæc lege ut capillamentum raderent, & ungues ipsius resecaient. Quo fuit significatum, nos res bonas à profano usu ad factum posse transferre, si abjiciamus impia & superflua.

4. Parentibus datur actio in liberos contumaces: cognitio autem & executio relinquitur judici.

5. Suspensus erat maledictus, non quia suspensus, sed quia reus, & quia reatus exponebatur oculis omnium. Ita Christus fuit maledictus propter nostrum reatum.

6. suspensus non erat relinquendus in ligno, ne terra pollueretur. Eo significabatur Christum removisse omnis impuritatis nostræ recordationem.

C A P U T X X I I.

1. **M**ulta in lege Moysis per comparationem majoris sunt intelligenda: ut si bestię periclitanti est succurrendum, multò magis homini.

2. Permutatio vestis virilis & muliebris est contra honestatem naturalem juxta & civilem.

3. Pulli possunt accipi ex nido, mater non debet: quia hoc modo docemur consulendum esse publicę utilitati, quę provenit ex matre.

4. Deus in lege suã prohibet dolum & culpam, culpam, dico, latam, levem, & levissimam: ut quando jubet tecta munire loricatione; vult, ne dominus ædium latã culpã sit in causã mortis cuiquam.

5. Ut sua simplicitas constet populo Dei, & ille à gentibus vanitati & voluptati servientibus discernatur, Deus præscribit leges de semente, aratione, & vestimento, ne videl. conferant variis seminibus, ne arent agrum bove & asino, denique ne conficiant vestem ex lino & lanã. Itaque his cancellis & metis fuit inclusus populus Dei, & his notis à gentibus discretus, & his ceremoniis simplicitatem doctrinæ & vitæ doctus.

6. Judæi habebant vestes talares, non continentes, ut alii oriëntales, & summus Põtifex, sed quadratas, sive quadrangulas, quę erant vel antè apertę, vel utrinq; à latere fissę. Ita Deus imperat, ut faciant phylacteria ad quatuor oras vestimenti, ne in motu aliquid indecorũ appareat.

7. Adulterium capitale est de lege divinã, sive sit simplex, id est cœlibis cùm conjugatã; sive duplex, id est duorum conjugatorum. Ratio est, quia utrobique violatur jus publicum & privatum.

8. Sponsa dicitur uxor alterius, quia nuptias facit consensus, non concubitus, ut loquuntur jurisconsulti.

C A P U T X X I I I.

1. **N**on invenire congregationem Jehovę hoc loco non intelligitur ratione commercii, vel conjugii,

jugii, vel communionis ecclesiasticæ, sed ratione administrationis publicæ, & ita excluduntur evirati, item nothi, scilicet infames, qui eleganter dicuntur **QUÆSITI**, qui nempe nati sunt ex prostibulo, planè incerto patre, sed certissimâ infamiâ.

2. Privato homine non licet perpetuas gerere inimicitias, sed licet particulari divinâ revelatione, ut quando Deus jubet Israëlitas, ne faciant unquam pacem cum Moabitis, Ammonitis.

3. Judæi tenebantur excrementa sua operosè contegere; ut externa puritas esset symbolum puritatis internæ.

4. Deus prohibet, ne sit meretrix ulla, vel meritorius in populo suo. Itaque lupanaria nullo colore defendi possunt.

5. Usura non est illegitima in commerciis, sed in casu egestatis, si nempe aliquis non commerciis sed egestatis causâ mutuam commodum à nobis accipiat.

6. Liberalitas votiva probatur domino, si fiat non de alieno, neque animo hypocritico.

7. Licet homini viatori uvas aut spicas decerpere manu suâ ad necessitatem, non verò ad superfluitatem.

CAPUT XXIV.

1. **D**eus permittit, non verò imperat Judæis, ut divortium faciant extra casum adulterii. Nam verba Hebraica **וְנָתַתְּ** sunt præteriti, non verò imperativi. Itaq; Judæi malè interpretantur, scribito, dato. Maluit autem Deus permittere, quàm interdicerere hoc cacœthes, quia plenitudo indulgentiæ ipsius ita fit manifesta in dissimulandis nempe filiorum suorum nævis.

2. Jura civilia octodecim causas divortiorum probant, sed jus divinum duntaxat hasce duas, videlicet adulterium & malitiosam desertionem.

3. Cùm debitorum duo sint genera, alii in re commodâ & lautâ, alii in re angustâ constituti, Deus jubet,

○

ne creditor in noctem usque detineat pignus debitoris, qui est in rebus angustiis. Causa additur: *Ut sit tibi justitia coram Domino*, id est, ut bonum opus censeatur, quo Dominus delectetur.

4. In peccatis personalibus nec parentes pro liberis, nec liberi pro parentibus sunt plectendi: at verò si peccatum sit universitatis, cessat hæc lex: ut, quòd capite sequenti Amalekitæ deventur exitio, propter peccata parentum.

C A P U T X X V.

1. **V**erba illa: *Quadraginta plagis cadet eum*, non sunt jubentis, ut quisquis fustigationem meruit, 40 plagas ferat, sed definiens, ne quis supra hunc numerum cædatur. Quòd autem Judæi 39. plagas inflixerunt, non verò 40. 2. *Cor.* II. id fecere, ne fortè per imprudentiam excederent hunc numerum.

2. Lex de ducendâ fratriâ non est subtractio legis naturæ, sed additio, quia jus gratiæ multa ceremonialia adjecit ad jus naturæ. Sic hoc loco conjugium cum fratriâ confirmat successionem hæreditatis & jus primogenituræ, quarum illa symbolum erat cœlestis hæreditatis, hæc dignitatis Christi & Christianorum.

3. In contractibus oportet servare proportionem arithmeticam, sicut in præmiis & pœnis Geometricam.

C A P U T X X V I.

1. **P**rimogenita sunt ex animalibus, protogenemata sunt ex fructibus pendentibus, primitiæ sunt ex fructibus jam collectis.

2. Oblatio primitiarum & decimarum est solennis professio, quâ populus præstabat Deo homagium seu hominium verbo & signo tanquam emphiteuta Dei.

3. Populus in oratione solenni primitiarum & decimarum dicebat: *feci omnia*; quæ non fuit jactantia pharisaica aut professio meritoria, sed publica testificatio,

catio, se in oblatione istâ bonâ fide egisse, nec esse sibi alicujus doli conscium.

4. Stipulatio fœderis mutua, fundamento est evangelica, modo enuntiandi est legalis, quia Deus stipulatur à populo, ut sit ipsi populus peculiaris ex promissione & electione, & observet mandata ipsius, & populus vicissim stipulatur à Deo, ut sit Deus sibi ambulanti in viis ejus & observanti mandata ejus.

C A P U T X X V I I.

I. **D**Eus à *c.27.ad 31.* omnia antecedentia confirmat; sunt autem tres loci confirmationis. Primus est positus in signis *cap.27.* Secundus in promissionibus & comminationibus *capite 28.* tertius in complemento fœderis per evangelium in Christo *cap.29.30.*

2. Deus jubet erigere columnas lapideas & altare, tanquam monumenta beneficii hujus, quo populum immisit in possessionem terræ Canaan, & officii populi erga ipsum. Deinde altare cum suis sacrificiis figurat Christum cum suo evangelio: quare, quando Deus jubet verba legis inscribere altari, significat legem non nisi in Christo impleri.

3. Duodecim genera maledictionum (è quibus ultima maledictio est universalis, reliquæ sunt particulares) enuntiantur à Deo & à populo approbantur particulâ *Amen.* Itaque hujus voculæ usus est alius legalis, alius evangelicus.

4. Deus maledicit idololatriæ, non solùm publicæ, sed etiam privatæ & latentis.

C A P U T X X V I I I.

I. **D**Eus populum suum voluit armatum variis benedictionibus temporalibus, sed cum exceptione crucis: quia cessante conditione cessat benedictio. Condicio autem est, si auscultaverint voci Jehovæ, deinde promissiones illæ magnificæ sunt picturæ spiritualium & æternarum benedictionum.

2. Deus bona temporalia etiam largitur impiis, ut divitias bonitatis suæ ostendat, & eos ad se agnoscendum invitet. Denique justo iudicio ipsos, tanquam porcos, saginet ad exitium.

3. Maledictiones Dei temporales hoc loco denuntiatæ, in historiâ excidii politiæ Judaicæ tanquam in speculo sunt conspicuæ.

C A P U T X X I X.

1. **M**oses hoc loco pangit fœdus novum præter fœdus illud, quod pepigerat in monte Horeb, *Exod. 19. & 20.* Etsi enim substantiâ idem est fœdus, tamen eo differunt, quòd prius illud fœdus modo legali magis est initum, & quidem cum Israëlitis ex Ægypto egressis. Hoc autem posterius initum est modo magis evangelico cum filiis in terram Canaan jamjam immit- tendis.

2. Communicatio beneficiorum Dei fit duobus modis: foris, in sensu; & intus, in conscientiâ, qui sensus est internus animi.

3. Deus dicit se non dedisse Israëlitis cor intelligens &c. non quòd sit causa impietatis efficiens, sed ut ostendat, sine adiutorio suo illos nihil boni aut posse aut nosse.

4. Radix proferens cicutam aut absynthium, est cor impietatis veneno infectum & inficiens alios.

5. Addere ebriam sitienti: est proverbialis allegoria, quâ significatur animi obfirmationem & veluti inebriationem per varia peccata parere sitim inextinguibilem.

7. Deus ita dispensavit rationem voluntatis suæ, ut sibi reservaverit abdita & nobis concediderit revelata, ut sint norma fidei & vitæ. Itaque voluntas Dei arcana sive occulta pertinet ad maiestatem ipsius, quam adorare debemus, revelata pertinet ad paternum eius cor, quod amare & honorare debemus.

C A P U T

CAPUT XXX.

1. **C**onversio Judæorum magnificè hîc promittitur.
2. Deus in circumcissione præstat rem, minister dispensat signum. Atque hæc est circumcisio illa non manu facta *Colos. 2.* & quæ est in occulto *Rom. 2.* nimirum est unum idemque sacramentum, quod integratur actionibus duabus.
3. Evangelium dicitur hoc loco mandatum, quod neque occultum est per se, neque longinquum à nobis, non quòd vi liberi arbitrii sit factu facile, sed quia clarè nobis est revelatum.

CAPUT XXXI.

1. **S**icut Moses legem tradidit ecclesiæ tanquam depositariæ, ut illam asservaret in arcâ, sic Esdra canonem propheticum eidem ecclesiæ concredidit. Eundem in modum Johannes Evangelista restatus est de canone Apostolico.
2. Septimo quoque anno, qui erat sabbaticus, publicè recitari debuit lex quæ nihilominus in Synagogis prælegebatur singulis sabbatis, *Act. 15.*

CAPUT XXXII.

1. **S**icut pluvia & ros guttatim fœcundant terram; sic doctrina verbi Dei quasi guttatim fœcundat arvum ecclesiæ.
2. Solus Deus est petra, idque ob firmitatem & constantiam: ad quam perfugere, & in quâ acquiescere possumus & debemus.
3. In cantico Mosis graphicè describuntur beneficia & judicia Dei, & maleficia nostra. Deus enim nos fecit populum & portionem suam, non ex meritis nostris, sed ex suâ miseratione. Invenit enim nos in terrâ deserti, & electos custodit ut pupillam oculi sui, verboque promissionis nos excitat ut aquila pullos suos, imò alis suis nos

fovet, atque tandem in cœlum transfert. At verò nos sumus generatio perversitatum, generatio tortuosa, populus stultus & insipiens, qui se magis & magis corrumpit. Denique sumus tanquam vitis non vinifera, sed venenifera. Hinc est quòd Deus variis judiciis nos exercet, verùm ita, ut vigore misericordiæ suæ temperet rigorem justitiæ.

4. Christus est petra solidissima, proferens suavissimum mel evangelii, & oleum Spiritus Sancti.

5. Populus Dei, seu ecclesia, appellatur **שׂרׂוּן**, hoc est, *integellus*, quia nempe ecclesia prædita est duplici integritate, imputatâ & inhærente.

C A P U T X X X I I I .

1. **B**enedictio proficiscitur vel à Deo, vel ab homine; & hæc rursus est ab impio vel à pio: Illa verbo Dei abutitur magicè: hæc est communis vel propria. Benedictio communis est fausta precatio, putà sacerdotum in V. T. pastorum in N. T. & denique omnium piorum. Propria & peculiaris benedictio est eorum, qui spiritu prophetico præditi sunt, qualis est hæc Moïsis. Itaque hujusmodi benedictiones non sunt in exemplum trahendæ.

2. In duodecim tribubus una omittitur, nempe Simeonis, quia nempe per illud tempus plurimùm erat diminuta peccato suo, *Num. 25. 26.* Unde propter illam exiguitatem conjungitur cum tribu Juda. Habuit enim communem cum istâ tribu sortem.

3. Ruben primo loco benedicitur tanquam primogenitus naturâ, propter filium historiæ. Aliàs ordo dignitatis alibi observatur, ita nempe, ut tribus Juda præmittatur reliquis, quia nempe hæc tribus habuit primogenituram speciali gratiâ.

C A P U T

CAPUT XXXIV.


1. **H**Oc caput à Josuâ vel Eleazaro putatur esse additum.

2. Moses nemine homine conscio à Deo fuit sepulturâ conditus, tum ne hostes corpori sancto eluderent, tum ne Israëlitæ in idololatriam laberentur.

3. Moses est maximus prophetarum : quia Deus cum nemine tam sæpè & tam familiariter fuit conversatus ; tum quia res maximas in Ægypto & in deserto gessit. Quod autem Christus Johannem Baptistam præfert omnibus prophetis, id pertinet ad peculiarem prærogativam, quâ ille fuit præcursor Christi.

F I N I S.

O 4




PLEIAS SACRA,

Id est,

SEPTEM EPISTOLÆ CATHOLICÆ.

Catholica dicuntur hæc epistolæ, quòd non uni homini aut uni ecclesie, sed ecclesie Catholicae sint inscriptæ, si excipias duas posteriores Johannis. Itaque hæc nomenclatura est à majore parte numeri. Deinde appellantur Canonicae; quòd sub uno canone, id est, formulâ, mitterentur ad plures. Unde quibusdam patribus dicuntur epistolæ formales. Sunt tamen qui canonicas dictas contendunt, ob consensum cum scripturis canonicis. Et si enim à quibusdam fuit dubitatum de nonnullis harum epistolarum: Ideo tamen non sunt apocrypha: quia iudicium non particulare, sed universale requiritur, ut scriptum habeatur pro apocrypho.



EPISTOLA JACOBI.

Erant Apostolorum tempore duo genera hominum, primum iustitiariorum, qui legem urgebant: contra hos Paulus disputat ad Rom. & Galat. Alterum eorum, qui carnis affectibus dediti, licentiam peccandi sub fidei prætextu quærebant. Adversus hos agit Jacobus, & quàm enixissime docet, quomodo credendum sit Christianis. Quod itaque bis tantum meminit Christi, ideo factum est, quod Christianos satis superque institutos de Christo, suscepit erudiendos.

CAPUT I.

I. **D**uo fuerunt Apostoli nomine Jacobi, *Matth. 10.* Unus Zebedæi, alter Alphæi: Prior ille fuit sublatus ab He-

ab Herode Agrippâ, *Act.* 12. Hic posterior fuit episcopus Hierosolymis, ut Johannes Ephesi. Atq; hic Jacobus est author hujus epistolæ; & aliâs dicitur Justus, minor, frater Domini, frater Judæ, & Oblias.

2. Homo est servus Dei, Diaboli, vel hominis. Servus Dei est jure creationis, redemptionis, vel vocationis ad officium. Hoc postremo sensu Jacobus se appellat servum Christi, id est, Apostolum.

3. Duodecim tribus erant dispersæ per universum orientem, primò per Salmanassarem, qui decem tribus abduxerat in Assyriam; deinde per Nebucadnezarem, qui duas tribus abduxerat Babylonem: sicut & Pharaon quosdam ex iis transportavit in Ægyptum. Atq; hos Judæos dispersos intelligit Jacobus: Itemq; illos, qui in primitivâ ecclesiâ Christo nomen dederant Hierosolymis, eaq; de causâ erant dispersi à Pharisæis. Confer *Act.* 2. v. 5. 9. & *seqq.* Item *cap.* 6. v. 1. 9. ubi observa, longè plures fuisse Judæos hellenistas quàm hebraizantes, quæ causa est, quòd Jacobus scribens ad Judæos utitur linguâ hellenisticâ, & nominatim adhibet istam salutationis formulam *χαίρειν*, quomodo Apostoli in suo concilio *Act.* 15. v. 23. scribunt ad gentes, quæ formula planè convenit cum illâ Hebraicâ *וְשָׁלוֹם*.

4. Homines sunt fratres jure creationis, generationis, regenerationis, vel dispensationis. Primo sensu omnes homines sunt fratres, i. e. proximi. Secundo, sunt fratres Germani, uterini, consobrini, patruales, &c. Tertio, Christiani sunt fratres ex judicio & canone fidei vel charitatis. Quarto symmystæ seu œconomi mysteriorum Dei sunt fratres nempe ratione officii peculiaris.

5. Pro summo gaudio debemus ducere, si incidamus in tentationes probationis seu explorationis & refectionis, non verò seductionis & defectionis. Has enim posteriores deprecari, non autem iis lætari jubemur.

6. Tentationes sunt variæ, quæ varietas est vel à personis tentantibus, ut sunt amici vel inimici. Item Deus, Diabolus & homo, adeoque mundus, & caro: vel in re

ipsâ & modo, uti sunt res secundæ vel adversæ, beneficia & iudicia Dei, mandata difficilia carni, vel deniq; in tempore eoq; longo difficili.

7. Probatio sumitur activè vel passivè. Primo modo patientia efficit probationem, *Rom. 5. v. 4.* Posteriori modo Jacobus ait probationem efficere patientiam. Ibi probatio significat experientiam, hîc exercitationem fidei.

8. Bona nostra opera debent esse perfecta, & similiter nos debemus esse perfecti, ratione fundamenti, quod est Christus, caput nostrum; ratione affectus, qui est in sinceritate: ratione subjecti, ut est totus homo ratione animæ & corporis, ratione objecti id est totius legis & singulorum præceptorum; Deniq; ratione adjuncti, i. e. ratione profectus. Hoc est quod alii sic enuntiât; perfectio nobis & nostris bonis operibus tribuitur ratione Christi, hypocritarum, item ratione virium corporis & animæ, ratione decalogi, seu utriusq; tabulæ, denique ratione Christianorum incipientium.

9. Sapientia est mundana, dæmoniaca, vel spiritualis. Et hæc postrema significat omnia dona ad salutem æternam necessaria, quæ sine conditione petenda sunt; quia & mandatum petendi, & promissionem obtinendi habent. Itaq; donum continentia, reliquaq; bona animi, corporis, & fortunæ, cùm nec omnibus fidelibus promissa sint, nec ad salutem sint necessaria, non simpliciter sunt à Deo petenda.

10. Dubitatio, anxietas, hæsitatio, & formido è diametro pugnant cum naturâ fidei & precationis. Nam fidei basis est verbum Dei, & fides est anima precum. Itaque si fides nititur verbo Dei, utiq; excludit dubitationem; & similiter precatio. Intellige dubitationem habitualement. Nam dubitatio actualis etiam cadit in filios Dei, qui subinde cum illâ luctantur, sed ita, ut tandem eluctentur. Prior illa dubitatio facit ut homo sit *δύψυχος*.

11. Gloriatio filiorum Dei non est vana & mundana, sed solida & spiritualis, quæ fundatur partim in sublimitate, partim in humilitate. Sublimitas seu gloria filiorum Dei

Dei

Dei est partim adoptionis, partim bonæ conscientia. Humilitas eorundem est demissio animi; profecta ex consideratione majestatis Dei, & propriæ indignitatis.

12. Corona filiorum Dei est vitæ præsentis vel æternæ. Corona præsentis vitæ est vel justitiæ, vel aliorum donorum: quò imprimis pertinet corona ministerii & martyrii. Corona vitæ æternæ individuo nexu cohæret cum coronâ justitiæ: unde hæc duo nomina in scripturis inter se permutantur.

13. Tentatio est propriè vel impropriè dicta, bona vel mala, efficax vel inefficax, activa vel permissiva, mediata vel immediata. 1. Deus non tentat propriè: quia tentatio propriè dicta est actio nescientis: sed per similitudinem: quia facit, quod homines tentantes facere solent. 2. Deus non tentat ad malum, sed ad bonum, juxta illud Augustini, *Tentat Deus ut coronet; tentat Diabolus ut subruat.* 3. Deus sæpe tentatur ab hominibus, sed tentatione inefficaci & irritâ. 4. Deus tentat vel activè, non sollicitando ad peccata, sed explorando nostram fidem, patientiam &c. vel permissivè, dum finit nos tentari à Diabolo, carne, &c. Deniq; Deus tentat vel immediatè, ut Abrahamum tentavit, *Genes. 22.* vel mediatè, per media bona & mala. Tentat autem pios juxtâ & impios, & hos quidem ut illorum improbitas patefiat, ut in Pharaone; illos autem ut ipsorum fides, obedientia &c. illucescant. Huc etiam pertinent quinque genera tentationum. Nam Deus tentat hominem: Homo tentat Deum: Diabolus tentat hominem: Homo tentat Diabolum: Homo tentat hominem, & quidem vel seipsum vel alium.

14. Concupiscentia inordinata tum primo, tum secundo motu est peccatum, quia nos extra viam abripit & inescat.

15. Concupiscentia, id est, peccatum originale, parit peccatum, scil. actuale, ut Jacobus docet. Rursus peccatum, scil. originale, parit concupiscentiam, hoc est, peccatum actuale, uti Paulus docet ad *Rom. 7. v. 8.*

16. Concupiscentiæ, i. e. peccati originalis, effectum

est duplex. Aut enim immediatè parit mortem: aut immediatè parit peccatum actuale & mediatè parit mortem. Primum effectum semper elicit: alterum in adultis tantum. Itaq; Jacobus non negat peccatum originale esse mortale, sed connexionem peccati originalis, peccati actualis, & deniq; mortis ostendit.

17. Deus est pater luminum: quia est luminosissimus in se, & author omnis luminis extra se: luminis inquam corporalis & mentalis, quod quidem lumen mentale est triplex, puta naturæ, gratiæ, & gloriæ.

18. Apud Deum non est conversionis obumbratio, i. e. Deus est immutabilis & purissimus actus, tanquam sol quidem immobilis. Quòd autem Gen 22. & alibi locorum, Deus mutavit & revocavit suam sententiam, id arguit diversitatem effectus, quâ fit, ut sententia Dei sit absoluta vel conditionalis. Illâ Deus definit aliquid fieri, hanc patefacit tentandi causâ. Prior revocari non potest, posterior est mutabilis, non simpliciter, sed sub conditione.

19. Regeneratio fit sine antecedentibus nostris operibus, quia, ut mater fœtum, sic Deus nos regenerat, & quidem voluntate suâ, & sermone veritatis. Illa est causa efficiens regenerationis primaria, hic organica: causa finalis est, ut simus primitiæ creaturarum Dei, id est consecrati, quemadmodum primitiæ in V. T. segregabantur à reliquis frugibus & fructibus, Deoq; consecrabantur.

20. Ira officii & zeli secundum scientiam operatur justitiam Dei, id est, eam, quæ Deo probatur: Ira præceps, immoderata, & quæ est ex zelo præpostero, secus se habet.

21. Verbum Dei dicitur λόγος ἐμφυλιος, id est, sermo insititius, non quia nobis inest à naturâ, sed quia Deus eum serit in cordibus nostris, vel immediatè, vel mediatè, & rursus internè vel externè, ut nempe ibi radices agat & fructus ferat. Porrò hic sermo dicitur servare animas nostras, nempe ὀρθρινικώς.

22. Vita hominis est contemplativa vel activa, & hæc poste-

posterior tum in philosophiâ tum in ecclesiâ est potior: quia nempe theoria ordinatur ad praxin, ut Jacobus docet, & Christus, *Matth. 28. v. 20.*

23. *Paulus ad Gal. 4.* legem vocat servitutis. Jacobus libertatis *v. 25. & cap. 2. v. 12.* nimirum est lex servitutis, quatenus est ministerium mortis, & homines premit: sed est lex libertatis, quatenus liberè citra personarum acceptionem homines accusat, *Rom. 3. 20.* & ad libertatis veræ autorem nos manuducit ad *Gal. 3. 24.* & denique regeneratis non est amplius jugum servitutis, sed sponte & liberè ab illis custoditur, nec eos retinet sub metu, cum Sp. S. per legem illos formet & firmet ad voluntariam obedientiam.

24. Beatitudo vera hominis peccatoris consistit in remissione peccatorum, *Psal. 32. Rom. 4.* Illâ siquidem positâ ponitur unio & communio cum Deo. Verum enim verò remissio peccatorum individuum habet comitem sanctificationem. Itaq; Jacobus in hâc quoq; constituit beatitudinem: quia nempe bona opera sunt signa & effecta justificationis, materia sanctificationis, & causa sine quâ non glorificationis.

25. Religio est vana vel vera; & hæc est interna vel externa. Religio interna continetur puritate & charitate, id est, fide & bonis operibus. Religio externa continetur ceremoniis à Deo præscriptis. Jacobus hoc loco docet, quænam sit vera, quæ vana religio. Et vana quidem religio est in linguâ sita, cum quis garrit de pietate & ceremoniis, & insuper calumniatur proximum, sub prætextu religionis. Vera autem religio est in cultu Dei immediato & mediato, & infallibile ipsius *τεκμήριον* est charitas ex verâ fide profecta. Religiones itaque monachorum, quas vocant, sunt nihili, quia non constant puritate, & insuper tollunt opera charitatis.

CAPUT II.

I. **P**rosopolepsia damnatur, non quasi tollatur discrimen personarum, quod cernitur partim in præde-

stinatione, partim in vitâ œconomicâ, scholasticâ, ecclesiasticâ, & politicâ, (hoc enim discrimine sublato introducitur confusio Platonica & Anabaptistica) sed quia qualitates adventitiæ seu adjuncta externa, quæ nihil faciunt ad rem, non debent spectari. Itaque profopolepsia est acceptio Ἐπερωπίης, seu acceptio personæ, quatenus hoc vocabulum est theatricum. Non itaq; statim est profopolepsia, quando æqualibus tribuuntur inæqualia, sed quando æqualibus tribuuntur inæqualia contra tenorem justitiæ distributiivæ. Potest enim aliquis æqualibus tribuere inæqualia, ex merâ libertate & purâ putâ charitate, quomodo Deus in prædestinatione homines discrevit, & homo dives decem pauperibus æqualibus inæqualiter erogare potest eleemosynam. Sed in distributione præmiorum & pœnarum hoc non valet, ibi enim æqualibus æqualia, majoribus majora, minoribus minora sunt conferenda.

2. Christus dicitur, *Christus gloria*, eo sensu quo à Steph. *Actor.* 7. dicitur Deus gloriæ, & à Paulo, *1. Cor.* 2. Dominus gloriæ. Sic autem dicitur Christus ratione personæ & officii, quia est gloriosus in se & nobis confert gloriam filiorum.

3. Synagoga hoc loco dicitur de ecclesiâ Christianâ N. T. Falsus itaque Bellarminus, quando contendit populum N. T. nunquam vocari Synagogam, sed semper ecclesiam. Confer *Heb.* 10. 25. Interim verum est, inde ab Apostolorum temporibus, vocem hanc in cœtibus Judæorum hæsisse. Unde patres semper ferè distinguunt inter ecclesiam & Synagogam. Ignatius tamen ecclesiam vocat Synagogam sanctorum, & plerique Patres Græci ecclesiam vocant Synaxin, ut distinguant à Synagogâ: quia non tantùm Judæi sed etiam hæretici veteres suos cœtus appellabant Synagogas, illorumque præfectos archisynagogos. Cæterùm Synagogæ apud Judæos statim cœperunt post captivitatem Babylonicam, easque Christus quam diligentissimè frequentavit, non tantùm ut membrum politiæ Judaicæ, sed etiam ut minister circumci-

cumci-

circumcisionis, adeoque ut doctor, qui Judæos melius informavit & insimul reformavit.

4. Paupertas per se neminem commendat Deo, & divitiæ per se neminem vel commendat vel condemnat. Placent autem Deo & pauperes & divites, quando utriusque sunt divites fide & pauperes spiritu.

5. Deus elegit pauperes hujus mundi, non quod omnes pauperes sint electi, sed quia plures pauperes sunt electi quàm divites.

6. Deus elegit divites in fide, non antecedenter sed consequenter, seu non in sensu composito, sed diviso. Nam illi qui sunt divites in fide, pertinent ad numerum electorum. Distinguantur itaque probe quæstiones: Quinam sint electi, & quare sint electi? Atque hanc expositionem confirmant verba immediatè subjecta, quibus significatur quod Deus elegerit hæredes regni, non utique quos invenit, sed quos fecit hæredes.

7. Lex de dilectione proximi dicitur regia, seu regalis; quia debetur ipsi principatus inter omnes leges, & quia est tanquam via regia, quam qui ingreditur, non aberrat; & quia regio spiritu, id est, forti & constanti animo, ab omnibus piis præstari debet; denique quia omnes reliquas leges sub se complectitur. Sic autem potius nominatur lex de dilectione proximi, quia semper includit & præsupponit dilectionem Dei.

8. Lex tota est una copulativa: Itaque, qui in unam legis particulam peccat, reus est totius legis non servatæ, violat enim totam legem, etsi non violat totum legis: vel violat totam legem, non quidem quantum ad materiale, sed tamen quoad formale. Sic corpus totum læsit, qui unum digitum læsit, & harmoniam citharæ turbat, qui unicam chordulam dissonare facit. Hoc itaque fulmine prosternitur justificatio legalis seu justitia operum, quia nemo est homo, qui non saltem in uno aliquo præcepto delinquat.

9. Misericordia gloriatur adversus damnationem; quia qui proximo facit misericordiam experietur mise-

ricordiam Dei, non ex merito, sed ex gratiâ. Nam gloria ista proficiscitur ex fide.

10. Paulus *Rom. 3.28.* ait: *Concludimus ergò fide justificari hominem, absq; operibus legis: sed Jacobus dicit v.24. Videtis igitur ex operibus justificari hominem, & non ex fide tantum.* Hi loci non affirmant & negant idem de eodem, sed diversum de diversis. Est enim homonymia in voce fidei, & similiter in voce justificari. Nam fides est vel viva quæ per opera est efficax; vel mortua, quæ destituitur bonis operibus. Et justificari est vel à peccatis absolvi, Dei sententiâ, propter Christum, seu justum reputari coram Deo: vel justum declarari seu ostendi per opera coram hominibus. Jam quæritur, utra homonymia sit spectanda in conciliatione horum locorum? Sunt n. qui adhibent utramque, sunt qui alterutrâ: sed utraq; nõ potest, quia unius loci unus est sensus literalis. Deinde homonymia in voce justificari hîc nõ invenit locum, quia Jacobus agit contra eos, qui justificationem coram Deo collocabant in fide, sine bonis operibus. Relinquitur itaque quòd homonymia in vocabulo fidei locum habeat, & hoc quidem confirmatur ex *v.15.16.17.* ubi est ejusmodi comparatio. Sicut liberalitas, si in nudis consistat verbis sine ipsis operibus, nemini prodest, sed est potius inane virtutis idolum, quàm virtus: Ita fides, quæ nudâ consistit professione, studio bonorum operum carens, est inanis & mortua. Hoc itaque est thema Apostoli Jacobi: Fides destituta bonis operibus, est mortua, ac proinde non justificat.

11. Fides est generalis vel specialis. Illa est historica seu dogmatica, sedemque habet in intellectu tantum; hæc est justificans seu salvifica, sedemque suam ita habet in intellectu, ut voluntatem quoque afficiat & perficiat, partim fiduciâ, partim bonis operibus. Et ita Paulus *Eph. 3.12.* accuratè distinguit fidem & fiduciam. Porrò fides historica est mortua sine bonis operibus, quia fides historica perficitur per fidem veram, quæ ex se parit bona opera.

12. Abra-

12. Abraham justificatus est ex operibus quando obtulit Isaacum, id est, ex fide operosâ. Ita ut sit metonymia effecti in voce *operum*; sic n. intelligendum esse v. 21. satis satisque ostendit v. 23. Quid verò inquiet aliquis? an non justificatio est actus individuus? quomodo igitur Abraham bis justificatus dicitur, semel, *Gen. 15.* & iterum *Gen. 22.*? Resp. Justificatio utique est actus individuus, sed ex parte Dei, non autem ex parte hominis.

13. Fides cooperatur operibus, non ad justificandum, sed ad confirmandum. Ratio prioris est, quia Apostolus non partitur justificationem inter fidem & opera, sed tantum operibus tribuit justificationem, id est, fidei operosæ, & eandem detrahit fidei mortuæ. Ratio posterioris est, quia bona opera sunt *κείνηρον* fidei, & justificationis fidei.

14. Fides historica perficitur ex operibus, perfectione primâ & essentiali: fides justificans itidem perficitur ex operibus, perfectione secundâ & accidentalî. Itaque bona opera perfecerunt fidem Abrahami, non formaliter, sed accidentaliter.

15. Fides sola dicitur categorematicè vel syncategorematicè. Priori modo fides sola non justificat, id est, fides solitaria seu nuda: posteriori sensu fides sola justificat, id est, fides efficax per bona opera.

16. Abraham proponitur tanquam canon & idea justificationis: quia fuit pater credentium. Sed Rahab proponitur tanquam exemplum justificationis, quâ justificatur impius, scil. in sensu diviso.

17. Rahab justificata est ex operibus, id est, ex fide se exerente per hospitalitatem. Dicit enim *Jos. 2. Novi Jehovam dedisse vobis terram hanc*: quæ notitia non fuit nuda, sed fiducialis & conjuncta cum bonis operibus. Itaque & hîc est meton. effecti.

18. Sicut anima se habet ad corpus, ita bona opera se habent ad fidem historicam, & hic est sensus Apostoli. Alioqui verum est, sicut spiritus, id est, halitus, se habet

ad copus : Ita bona opera se habent ad fidem justificantem.

C A P U T I I I .

I. **M**ulti magistri fiunt, non quando multi numero funguntur publico munere docendi & iudicandi in ecclesiâ, & ab unius magistri, nempe Jesu Christi, ore pendent, illiusque multa dicunt: sed quando multi diversa & adversa inter se docent, & multis dictis unius magistri addunt sua: item quando arrogant sibi jus censorium in alios, & magistri morum haberi volunt. Itaque his verbis non tollitur clavis doctrinæ & disciplinæ in ecclesiâ, sed doctrina falsa, & censura iniqua.

2. Judicium Dei est aliud punitionis & damnationis, aliud probationis & castigationis. Utrumque varios admittit gradus, sive sit iudicium theoreticum seu practicum.

3. Apostolus duodecim rationibus, partim propriè, partim metaphoricè enuntiatis, linguæ moderatæ & immoderatæ commoda & incommoda recenset.

4. Quia in multis labimur omnes, nulla est Pelagiana perfectio. Quod autem Apostolus dicit, perfectum esse virum, qui linguâ non labitur, id accipiendum est de ideâ. Unde non rectè infertur, quòd aliquis in hâc nostrâ corruptione talis sit, sed quòd continentia linguæ sit virtus eximia, & una ex præcipuis.

5. Usus linguæ consistit in veracitate, prudentiâ, taciturnitate, & jucunditate, idque in officiis pietatis erga Deum, & humanitatis erga proximum. Abusus est in contrariis.

6. Lingua est mundus iniquitatis, id est, mare & abyssus, seu Ilias malorum: quia in omnes vitæ partes diffunditur illius contagio.

7. Lingua inflammat rotam nativitatis, id est, cursum vitæ humanæ. Nam linguæ vitium grassatur per omnes vitæ partes.

8. Gehem-

8. Gehenna in scripturis accipitur vel propriè, pro valle Hinnomi, prope Hierosolymam, vel synecdochicè pro supplicio ignis, *Matth. 5. 22.* vel metaphoricè pro igne infernali, ut quando Jacobus dicit linguam inflammari à Gehennâ. Lingua siquidem facillimè concipit ignem infernalem à Satanâ incensum.

9. Omnis natura ferarum domatur, non universè, sed indefinitè, ut intelligantur non singula generum, sed genera singulorum.

10. Imago Dei dicitur similitudo Dei, quia est imago maximè similis suo archetypo. Est autem ista imago partim naturæ, partim gratiæ. Illa consistit in essentiâ animæ, & excellentiâ animæ, corporis, & totius hominis, inseparabili: hæc in excellentiâ separabili, quæ absolvi- tur scientiâ originali & justitiâ originali. Et ita quidem imago Dei fuit primæva. Eadem per Christum instauratur, & quidem cum auctario perseverantiæ.

11. Zelus in scripturis dicitur propriè & impropriè. Propriè est affectus mixtus ex amore & odio, estque bonus vel malus. Uterque vel est in conjugio & dicitur zelotypia: vel extra conjugium: & hic posterior est zelus gloriæ Dei, vel gloriæ mundanæ. Zelus gloriæ Dei est tempestivus vel intempestivus, ordinarius vel extraordinarius. Zelus gloriæ mundanæ est materia omnium contentionum. Zelus impropriè dicitur de Deo, qui ducitur zelo gloriæ suæ, quam alteri verb. gr. idolo non vult dari.

12. Sapientiæ duo sunt genera, cœlestis & terrestris. Sapiencia terrestris consideratur in ideâ vel in subjecto. In Ideâ est donum Dei. In subjecto est bona vel mala. Bona est, quæ theoriam conjungit cum praxi, & alas submittit scientiæ cœlesti; Mala, quæ divellit theoriam & praxin, & magisterium sibi arrogat in negotio fidei. Utraque est animalis, id est, efficitur vi animæ in homine agentis, actu imprimis reflexo. Posterior est etiam dæmoniacæ, tum quia cognitionem veri separat ab actione boni, tum quia cognitioni veri admiscet cognitio-

nem falsi, tum denique quia sapientiæ cœlesti contradicit, vel saltem sapientiam terrestrem constituit mensuram sapientiæ cœlestis: quod Apostolorum tempore faciebant philosophi, & hodie faciunt Sociniani, Pelagiani, & semipelagiani, adeoque & papistæ, quando iustitiam moralem confundunt cum spirituali. Sapientia cœlestis est partim Christiana philosophia, partim theosophia, cujus octo attributa commemorantur à nostro Apostolo *vers. 17.*

13 In scripturis animale vocatur, quod ab animâ, spirituale, quod à spiritu informatur. Rursus animale informatur ab animâ vel vegetativâ & sensitivâ, vel intellectivâ. Priori modo corpus animale dicitur *1. Cor. 15.* quod ab animâ accipit vegetationem & animationem multis adminiculis, putà cibo, potu, & cæteris intercedentibus. Posteriori significatu animalis ab Apostolo dicitur sapientia, quam efficit anima rationalis in puris putis naturalibus considerata. Itaque & spirituale duobus modis dicitur. Nam corpus spirituale dicitur, quod vivificatur energiâ spiritus, sine adminiculis hujus vitæ. Deinde sapientia spiritualis est, quam Spiritus sanctus in nobis accendit.

14. Pax in scripturis aut est vera felicitas, aut virtus. Pax ut est felicitas, est temporalis vel æterna, mūdāna vel Christiana. Ad pacem hanc utramque pervenitur per studium pacis, ut docet Jacobus.

C A P U T I V.

1. **V**oluptas est animi vel corporis, voluptas animi est theoretica vel practica, & utraque naturalis vel supernaturalis. Et hæc animi voluptas partim est bona per se, partim mala per accidens. Voluptas corporis est secundum, vel præter naturam. Illa humana, hæc bestialis dicitur. Hæc posterior militat in membris nostris, id est, tanquam dux abutitur membris ad omnis generis mala,

mala, nominatim ad bella, quæ sunt partim in religione, partim in conversatione.

2. Appetitus est naturalis, moralis, vel spiritualis. Ille est bonus, iste bonus vel malus, hic semper bonus. Malum illum damnat Apostolus, quia est & inordinatus, & immoderatus, & vagabundus, adeoque fons contentionum & rixarum.

3. Quod preces sæpenumerò non exaudiuntur à Deo, quatuor sunt causæ. Erratur enim vel in objecto precationis, quod est Deus, vel in modo, qui est vera fides per Christum, vel in materiâ, id est, in rebus petendis, vel denique in fine, quod postremum Jacobus attendit.

4. Adulteri & adulteræ hoc loco dicuntur, qui externa amoris Dei præferunt. Ita Christus *Matth. 12.* adulteram generationem vocat.

5. Amicitia est bona vel mala. Utraque est talis moraliter vel spiritualiter. Sic amicitia mundi est spiritualiter mala, amicitia cum Deo est spiritualiter bona.

6. Christus & apostoli in citandâ scripturâ V. T. usi sunt magnâ libertate juxta has regulas. 1. Citant vel τὸ γένος, vel τὴν δόξαν. 2. Cùm citant αὐτολεξεί vel suam adferunt textus Hebraici versionem, vel sequuntur septuaginta interpretes. 3. Cùm citant δόξαν, vel typum explicant, vel ad vocabula alludunt, vel hypothesein ad thesin transferunt, vel sensum paucis efferunt. 4. Versionem septuaginta interpretum citant, propter Judæos hellenistas. Ita Jacobus, *vers. 5.* citat ex *Num. 11. v. 29.* & transfert hypothesein ad thesin. Sed *v. 6.* adfert ex *Prov. 3. 34.* secundum versionem septuaginta seniorum.

7. Mandata Dei sunt legalia vel evangelica. Legalia ante lapsum ostendebant hominis potentiam seu facultatem, post lapsum ostendunt ipsius impotentiam & obligationem. Mandata evangelica diriguntur ad conversos vel convertendos. In illis excitatur studium bonorum operum, in his efficitur illud studium. Itaque præcepta ista sunt media, per quæ Deus efficit conversio-

nem. Hic teneatur regula: *Deus jubendo vel jurat vel in-
durat.* Itaque cum Jacobus dicit, *subjicite, appropinquate*
&c. hinc malè colligitur, principium conversionis esse
ex nobis.

8. Luctus & fletus, risus & gaudium considerantur
vel naturaliter, vel moraliter, vel spiritualiter. Primo mo-
do sunt passiones, secundo virtutes & vitia, tertio virtu-
tes theologicae, quod sanè paradoxum nobis quàm dili-
gentissimè est ponderandum.

9. Qui adhibet judicium detractionis, is judicat le-
gem, qui verò judicium emendationis adhibet, is com-
mendat legem.

10. Vita nostra sensitiva & vegetativa est vapor for-
maliter: sed vita intellectiva est quasi vapor, quia dese-
rit corpus.

11. In suscipiendis negotiis vitanda est virium confi-
dentia & consideranda divina providentia. Itaq; pieta-
tatis Christianae est, de futuris ita loqui, ut adhibeatur
divinae voluntatis honorifica mentio.

12. Peccatum oritur vel ex ignorantia intellectus,
vel ex perversitate voluntatis. Ita gravius peccat, qui
non rectè facit quod scit, quàm qui malè facit, quod ne-
scit. Non itaque est *ἡ ἀρετὴ τῆς πρᾶξης*, illa regula: *Non est error in*
voluntate, nisi ante error fuerit in intellectu.

C A P U T V.

1. **D**ivitiæ sunt indifferentes in se, & proinde per le-
gitimum usum fiunt instrumenta virtutis, per ab-
usum verò fiunt instrumenta vitiorum. Divitiæ itaque
in se non damnantur, sed divites, qui divitias vel inju-
stè acquirunt, vel justè acquisitis injustè utuntur, ad a-
liorum oppressionem.

2. Duùm generum peccata in scripturis memoran-
tur atrocissima, quæ fiunt elatâ manu, & peccata cla-
mantia: atque horum posteriorum meminit Aposto-
lus v. 4. de his teneatur versus,

Sanguis

Sanguis Abel, Sodoma, Pharaonis, vexatq; ditis.

3. Nomina Dei significant vel veram essentiam, ut Jehova, Jah, & Ehejeh, vel meram sufficientiam, ut Schadai, vel miram efficientiam, ut Dominus Sabaoth, vel denique trinam subsistentiam, ut Elohim.

4. Patientia est philosophica vel Christiana. Illa aut est species fortitudinis, aut stupor, qualis fuit *ἀναισθησία* Stoicorum: hæc est partus fidei & portus spei, adeoque character filiorum Dei.

5. Sicut judicium Dei est duplex, particulare vel universale, sic & adventus ejus ad judicium. Uterque Domini adventus propinquus est, prior propter brevitatem vitæ cujusque; posterior, quia totum N. T. tempus est novissimum, seu ultima hora. Neque enim ulla, Christo jam exhibito, mutatio cultus futura est.

6. Historiæ sacræ in hunc finem scriptæ sunt, ut inde formemus Syllogismum comparativum; quem vocant, id est, ut argumentemur à pari vel impari, simili vel dissimili; quomodo Apostolus hoc loci nobis proponit prophetas exemplar patientiæ.

7. Patientiam Jobi proponit Apostolus, quum tamen cæco impetu abreptus, multa impatientiæ signa ediderit: ut discamus etiam sanctissimos quosque interdum carnis infirmitate labascere, & secum tumultuari, ut nullius patientia sit omnibus numeris absoluta.

8. Canon patientiæ Christianæ debet esse *finis Domini*, id est, lætus exitus, quem Dominus procurat, ut & hîc locum inveniat versus ille:

Pondere, mensurâ, numero, Deus omnia fecit.

9. Jacobus non disputat in universum de juramento, nec de substantiâ juramenti, sed de jurandi licentiâ, quâ homo indirectè & obliquè abutitur nomine Dei, dum jurat per creaturas, quibus insculpta est gloria Dei. Itaque Apostolus damnat juramentum leve, & temerarium, non autem illud, quod adhibetur in casu necessitatis, sive illud sit judiciale, sive extrajudiciale.

10. Presbyteri in N. T. sunt omnes, qui ecclesiæ re-

gundæ præfunt, adeoque constituunt senatum ecclesiasticum. Horum alii præfunt doctrinæ & disciplinæ simul, alii disciplinæ tantum. Utrosque jubet accersere Apostolus: utpote in quibus maximè vis & gratia Sp. S. sese exerebat.

11. In primitivâ ecclesiâ vigeat donum sanationis: cujus symbolum ac sacramentum temporale erat unctio per oleum. Præcipit ergo Apostolus, ut ægroti confugiant ad hoc remedium, nec contemnant gratiam illam Dei singularem. Itaque ex sacramento temporali & extraordinario non rectè colligitur perpetuum & ordinarium. Cùm enim donum sanationis fuerit temporale, ipsius signum perpetuum esse non oportet.


12. Confessio peccatorum fit coram Deo, vel pastore, vel fratre, & hæc postrema debet esse reciproca, seu mutua, ut Apostolus docet. Hinc itaque confessio auricularis meritoria illa & ridicula arcessi non potest.

13. Tametsi *1. Reg. 17. 1. & 18. 42.* disertè non traditur Eliam orasse: tamen ex habitu prophetantis proclive est colligere habitum precantis.

14. Eliæ exemplum proponitur tanquam orandi regula, quatenus quidem ex fide debemus orare. Aliàs hoc est dissimile, quòd ipsius precatio fuit profecta ex lumine prophetiæ.

15. Qui convertit peccatorem, operit multitudinem peccatorum ipsius, partim privatâ remissione, partim reductione ad Deum, quâ fit, ut peccator in viam reductus remissionem peccatorum consequatur apud Deum.

PRIMA



PRIMA PETRI EPISTOLA.

CAPUT I.

Nomen Petri ex circumcissione erat Simeon, ex eventu, Petrus, Syriacè Cepha. Et nomen quidem Petrus est denominativum à Petrâ, sicut Cicero à nomine cicer, & Piso à nomine pisum, sicut Cepha est homonymum, sicut vox Scipio vel Stolo. Dictus autem est hic Apostolus hoc nomine, partim à fidei constantiâ & robore, partim ab audaciâ interrogandi, respondendi, & agendi nomine omnium. Nihil ergo agit Bellarminus, quando inter 28. prærogativas Petri etiam hanc numerat, quod Petrus sit Petra ecclesiæ Catholicæ.

2. Apostolus est, qui non tam deferendi nuntii, quàm gerendi negotii causâ aliquò mittitur. In scripturis hæc vox accipitur generatim, speciatim, & specialissimè. Generatim notat omnes ministros verbi, ut *Phil. 2. vers. 25.* speciatim tribuitur duodecim viris illis, à Christo immediatè missis, ut essent doctores œcumenici. Itemque Paulo. Specialissimè Christus dicitur Apostolus *Hebr. 3.* quia est à patre missus, ut sit caput & princeps Apostolorum.

3. Παρεπίδημοι sunt advenæ, qui habent domicilium in alieno solo, quales erant Judæi dispersi hinc inde. Et his quidem principaliter Petrus dedicat hanc epistolam, aliàs etiam gentibus dedicavit, ut patet ex *cap. 2.* Nimirum Petrus fuit Apostolus Judæorum, sicut Paulus gentium principaliter. Hoc tamen non potuit impedire, quò minùs apostolatus Petri ad gentes quoque, sicut Pauli etiam ad Judæos, extenderetur.

4. Electus dicitur vel ex quantitatis discretionem, vel ex qualitatis dominio. Priori sensu homines in scripturâ dicuntur electi, posteriori nunquam, ut, quando populariter dicimus, aurum electum.

5. Judicium de electione ad salutem, est Dei, fidei, vel spei. Judicium Dei factum est *λογὴ ἀγάπης* & *δόξης*, quorum illud notat non prævisionem fidei aut operum, sed judicium intellectus divini; hoc notat benevolentiam affectus divini: quod utrumque est absolutum, id est, non fundatum in aliquâ nostrâ qualitate, quam Deus præviderit, non autem ipse effecerit. Judicium fidei est infallibile, quod quilibet electus format ex fructibus & signis electionis. Judicium spei est probabile, quod debemus formare de fratribus in ecclesiâ degentibus. Itaque electio consideratur à priori vel à posteriori, ibi locum habet methodus synthetica, hîc analytica, utramque Apostolus conjungit, v. 2.

6. Christus est mediator merito & efficaciâ: illud functione, hoc asperione sanguinis, eaque tum ceremoniali, tum reali significatur. Fit autem asperio sanguinis Christi, partim internè per veram fidem, partim externè per verbum & sacramenta.

7. Benedicit Deus homini & rursus homo benedicit Deo, utrumque fit verbis & re. Ita homines benedicunt Deum verbo, quando nomen ejus celebrant: benedicunt re, cum vitæ rationes sic instituunt, ut cedant ad cultum Dei.

8. Regeneratio latè significat totum salutis negotium, strictè est idem quod sanctificatio. Priori modo regeneratio est nova creatio, seu nova generatio, in quâ Deus est pater, ecclesiâ mater, verbum Dei semen; fides, spes, & charitas sunt nova vita, quam excipit æterna vita.

9. Spes est Christiana vel mundana. Spes Christiana est veniæ, gratiæ, & gloriæ, ac proinde verè est viva. Spes mundana est vel vera vel vana, & hæc posterior est thesaurus stultorum.

10. Perseverantia sanctorum non nititur viribus liberi arbitrii, sed virtute ac præsidio Dei, præsidio, inquam, electionis, justificationis, & glorificationis, de quo nulla creatura, nulla tentatio potest nos deturbare.

Gravis-

Gravissimè itaque hallucinantur Papistæ, quando ἐπι-
 χιρ, seu dubitationem, de finali perseverantiâ laudibus
 extollunt.

11. Tempus ultimum significat in scripturâ, aut to-
 tam N. T. periodum, aut finem seculi.

12. Afflictiones pariunt tristitiam carnis & lætitiâ
 spiritus.

13. Tentationes sunt variæ, ratione tum causæ effi-
 cientis, tum ratione causæ formalis & finalis, tum ob-
 jecti. Tentat enim Deus, Diabolus, mundus, & caro.
 Tentamur benè vel malè, tentatione probationis vel
 seductionis. Tentamur ad bonum vel ad malum. De-
 nique tentamur ad dextram & sinistram, & quidem
 per omnia officiorum genera.

14. Aurum exploratur igni, ratione purgationis &
 notificationis: Ita & fides afflictionibus purgatur intus
 à diffidentia facibus, & declaratur foris, quòd sit vera
 & non ficta.

15. Evidentia & certitudo fidei non requirit eviden-
 tiam & certitudinem visionis, sed evidentiam & certi-
 tudinem promissionis divinæ.

16. Salus animarum est finis fidei, ratione intentio-
 nis, acquisitionis, & executionis.

17. Religio vera utitur duplici antiquitate seu con-
 sensu. Consensu, inquam, prophetico & Apostolico.
 Adversus hanc geminam antiquitatem nulla valet tem-
 poris præscriptio.

18. V. & N. Test. conveniunt substantiâ seu funda-
 mento gratiæ: differunt circumstantiâ seu modo œco-
 nomiæ.

19. Spiritus Sanctus dicitur spiritus Christi, quia
 procedit seu emanat ab ipso & patre, unam spiratio-
 nem efficientibus. Emanat autem & procedit actu spi-
 rituali immanente, interno, & æterno.

20. Spiritus Sanctus est verus Deus: quia in pro-
 phetis effecit donum prophetiæ, seu lumen propheti-

cum, quia nempe hujusmodi prædictio non pendet à causâ aliquâ secundâ.

21. Prophetæ non sibi, sed nobis, administrarunt, non quantum ad fidem implendorum, sed quantum ad impletionem credendorum.

22. Angelorum cognitio est concreata, revelata, & experimentalis. Ad revelatam & experimentalem pertinet, quòd desiderarunt introspicere incarnationem Christi, idque ob mysterium unionis personalis & beneficium recapitulationis, de quo *Colos. 1.*

23. Status Christi est exinanitionis vel exaltationis. Uterque in V. T. prædictus, in Novo præstitus. Eundem ad modum status hominis Christiani est viæ, id est, peregrinationis, vel patriæ seu vitæ, confer *v. 11. §. 17.*

24. Succingi lumbis mentis, est tollere impedimenta, quibus anima retardatur, in decurrendo stadio vitæ æternæ.

25. Perfectè sperare dicimur, respectu temporis continuati, ut perseveremus, & respectu innocentia, ut integritate vitæ spem stabiliamus.

26. Configuratio in scripturâ est, quâ assumimus schema hujus mundi, id est, vanitatem ejus splendidam & splendorem vanum.

27. Status miseriæ est status ignorantia & concupiscentia, & utriusque tum originalis tum actualis.

28. Vocatio, imprimis interna, respicit terminum à quo & ad quem. Ille exprimitur *v. 14. §. 18.* hic est status gratia & gloria.

29. Conversatio in religione aut est θεόδοτος, aut πατροπεριδοτος; & hæc est traditionis sanæ, secundum scripturam; vel vanæ, præter & contra scripturam.

30. Λύτρον est corruptibile, ut aurum & argentum, vel incorruptibile, ut sola mors Christi, quæ ita est μαρτύριον ut simul sit λύτρον, & id quidem totale juxta & universale, ut frustra sint merita hominum.

31. Ut in Christo mediatore; ita quoque in Christianis est ἀεθγωσις & φανέρωσις, id est, prædestinatio & execu-

execu-

executio, quæ duo pulcherrimo corresponſu ſibi ſubordinantur.

32. Chriſtus eſt agnus immaculatus & maſtatus; proinde utraque ipſius obedientia, tum activa, tum paſſiva, concurrat ad noſtri juſtificationem. Reſpicit autem Apoſtolus ad typum agni paſchalis, & agni jugis ſacrificii, ille figurabat ſolemne maſtationem Chriſti, hic ipſius præſentationem, commemorationem, & repræſentationem. Præſentatio fit partim ab ipſo Chriſto in cœlis, partim à nobis per fidem & precationem. Commemoratio fit in verbo & in ſacramentis: & in ſacramentis etiam eſt repræſentatio.

33. Animæ noſtræ purificantur ſanguine Chriſti, fide, & ſanctitate, quæ hîc inchoatur, & ibi conſumatur.

34. Verbum Dei manet in æternum: quatenus in hâc vitâ, neque tyrannorum faſtu, neque hæreticorum aſtu, poteſt opprimi, utut prematur: & quatenus eſt ſemen incorruptibile, cujus fructus pertingunt in vitam æternam.

C A P U T II.

1. **R**Egeneratio noſtri vertitur in fugiendis & faciendis: quæ ſunt duæ partes pœnitentiæ.

2. Fideles debent eſſe infantes, non intellectu, ſed affectu, hoc eſt, ſimplicitate & innocentia præditi.

3. Lac in ſcripturâ ſignificat beneficia Dei (eaque corporalia & ſpiritualia) & doctrinam cœleſtem; poſteriori ſenſu lac ſignificat vel initia pietatis & prima religionis elementa, & ita opponitur cibo ſolido: vel totum Dei verbum, quo regeniti aluntur ad vitam æternam: Paulus *Heb. 5.* reprehendit eos, qui ſemper appetunt lac elementaris doctrinæ: at Petrus jubet ſemper appetere lac doctrinæ univerſæ, & id quidem ſincerum, id eſt, nullis traditionibus adulteratum.

4. Gustus bonitatis Dei est effectus fidei temporariae vel salvificae. De illo agit Apostolus ad *Heb.* 6. de hoc Petrus. Ille similis est gustui titillanti linguam, hic gustui reficienti & nutrienti ventriculum.

5. Lapis ecclesiae catholicae, tanquam domus spiritualis, alius est super quem, alius ex quo. Lapis super quem aedificatur ecclesia, est solus Christus, adeoque doctrina de ipso, à Prophetis & Apostolis tradita. Lapis ex quo est quilibet electus, qui vivit per fidem Christi.

6. Omnes credentes sunt sacerdotes & reges. Sacerdotes, quia debent offerre spirituales hostias, id est, partim sacrificium Christi propitiatorium per veram fidem & preces, partim sacrificium eucharisticum per studium pietatis. Deinde sunt reges, quia regnant super diabolum, mundum, & carnem.

7. Christus est lapis angularis ratione foundationis, & conjunctionis, quia sustentat aedificium ecclesiae, & conjungit ecclesiam Judaeorum & gentium.

8. Mirabile, & prorsus mirabile est, quòd beneficia Dei semper conjuncta habent ejus judicia. Ita Christus est lapis defensionis & offensionis, & Evangelium est odor vitae & mortis. Ita nempe effectus & eventus, seu π per se & π per accidens semper conjunguntur.

9. Prædestinatio est actio Dei ponentis seu constituentis alios ad salutem, alios ad ruinam, confer *1. Thess.* 5. v. 9. Actus prior est misericordiae, posterior justitiae.

10. Vocatio interna, perinde ut creatio, est inter terminum negativum & positivum, ut constat ex *vers.* 9.

¶ 10. Nulla itaque est præparatio & dispositio nostra, aut rectus liberi arbitrii usus.

11. Fideles sunt hospites & peregrini, respectu regni gloriae, non verò respectu regni gratiae: confer *Eph.* 2. 19. ubi insuper Paulus loquitur de gentibus jam vocatis.

12. Apologia Christianorum, non tam debet constare oratione, quàm vitâ & moribus. Discamus itaque mundum

mundum convincere, non tam disputando, quàm piè vivendo. Hæc nimirum est defensio practica, de quâ Cicero gravissimè ait: *Malè mecum agitur, si me oratio magis quam vita purgat.*

13. Visitat nos Deus beneficiis & judiciis, & utrisque spiritualibus vel corporalibus: particularibus vel universalibus; temporalibus vel æternis.

14. Status eminentiæ & subjectionis est juris gentium & juris divini. Id autem valet de magistratu superiori & inferiori, fideli & infideli, leni & tyranno, monarchico & polyarchico, sive aliquis sub eo sit natus, sive sub eo vivat, sive in potestatem ejus redactus sit, sive sit laicus, sive clericus. Nam Petrus loquitur universaliter, ratione subjecti & prædicati.

15. Magistratus est ordinatio divina *Rom. 13.* & humana, hoc loco *vers. 13.* Est divina causaliter & authoritativè. Humana. 1. instrumentaliter: quia consensus populi facit magistratum. 2. Subjectivè, quia ab hominibus geritur. 3. objectivè, quia circa homines gubernandos versatur. 4. Finaliter, quia in hominis bonum est institutus.

16. Libertas & servitus est corporalis vel spiritualis. Ubi diligenter cavendum est, ne argumentemur à libertate spirituali ad corporalem vel contrà. Item à servitute spirituali ad servitutem corporalem & contrà. Porro servitus spiritualis aut est bona & expetenda; ut quando sumus servi Dei jure creationis & redemptionis: aut mala & fugienda, ut est servitus peccati, Satanæ, legis, & vanitatis seu miseræ. Libertas spiritualis est naturæ, gratiæ, vel gloriæ: & libertas naturæ est naturæ integræ vel corruptæ, è quibus illa dicitur libertas innocentæ. Ubi rursus diligenter cavendum est ne ex uno genere alterum vel etiam contra alterum concludamus.

17. Honor subjectionis debetur superioribus, honor dilectionis etiam æqualibus & inferioribus. Fundamentum siquidem honoris est imago Dei, quatenus

lucet in homine. Hæc siquidem est bonum honorabile.

18. Timor est moralis vel spiritualis. Uterque est filialis vel servilis. Deus etsi est Dominus noster, non tamen nisi filialem timorem à nobis requirit, quia dominium ipsius est paternum.

19. Servi debent heris suis esse subjecti cum omni timore, qui nempe subordinatus est timori Dei. Itaque vocula omnis est universalis in suo genere.

20. Conscientia Dei est conscientia rectè se habens, idque vel legaliter, vel evangelicè.

21. Mors Christi est & λύτρον & μαρτύριον & exemplum. Debemus enim imitari Christum, ratione doctrinæ, vitæ, & crucis, quæ tria sunt partim ὁμίμητα, partim δυσμίμητα. Quod attinet ad miracula Christi, illa sunt ἀμίμητα.

22. Christus non est comminatus vel criminatus, cum convitiis afficeretur, scilicet ut sacerdos, cum ad crucem duceretur. At verò criminatus est tanquam propheta. Rursus non est comminatus propter injurias privatas, sed propter publicas. Itaque distinguenda sunt tempora & officia Christi.

23. Quando Christus dicitur episcopus animarum nostrarum, & nos oves errantes, tria nobis ob oculos ponuntur, videlicet miseria nostra, misericordia Christi, & gratitudo seu officium nostrum. Itaque hoc est brevium catechismi nostri.

C A P U T III.

1. **M**atrimonium est par verb. gr. inter fideles conjuges, vel impar, verb. gr. inter infideles.

2. Lucrifacimus homines Christo, doctrinâ sanâ, & vitâ sanctâ; idque in ministerio vel extra ministerium, suo quisque ordine & gradu. Ita fidelis uxor jubetur lucrifacere infidelem maritum, etiam absque sermone,
non

non quòd sola vitæ sanctitas adducat incredulos ad Christum, sed quia est momentosa occasio.

3. Ornatus hominis est externus vel internus. Internus consistit in virtute intellectuali, morali, vel theologica. Itemque in virtute viri & officii. Ornatus externus est moderatus vel immoderatus. Moderatus definitur commoditate & decore. Immoderatus hos fines excedit.

4. Maritus est dominus uxoris, dominio politico, seu civili, non autem despotico seu herili.

5. Homines sunt vasa, in quæ Deus effundit gratiam vel iram. Effundit autem gratiam communem vel singularem, & utramque majori vel minori mensurâ. Hinc mulier dicitur vas infirmum, quale vas est vitrum crystallinum, vel vas porcellanum. Prudenter itaque debet tractari.

6. Omnes necessariò idem sentire debemus in fundamento salutis, quòd si in reliquis non possimus idem sentire omnes, cogitanda est regula: *ubi non potest esse ὁμοδοξία, ibi erit ὁμόνοια.*

7. Sympathia oritur vel ex affectu & sensu humanitatis, vel ex communionem sanctorum.

8. Non licet exercere vindictam privatam, sed publicam vindictam petere licet, ut illam exercent vel Deus vel magistratus. Etsi enim obligamur ad condonandam offensam, non tamen obligamur ad condonandam pœnam. Neque verò est, quòd sophistæ dicant, hoc esse consilium, non præceptum, quia Petrus dicit nos ad hoc vocatos esse.

9. Scriptura praxin pœnitentiæ semper definit oppositione termini à quo & ad quem, ut *vers. ult.* quia nempe boni agricolæ est priùs evellere sentes & zizania, quàm conferere agrum.

10. Homines Christiani non debent timere timorem impiorum, quem scilicet ipsi efficiunt minis & persecutionibus; ita ut vox timor usurpetur passivè.

Q

11. Sanctificamus Deum credendo & sanctè vivendo: internè & externè, publicè & privatim.

12. Confessio fidei nostræ non debet esse intemptiva & temeraria: ita ut ubique, & semper, & apud omnes promiscuè asseramus omnia religionis capita. Nam in hunc finem Deus instruit suos spiritu discretionis, ut judicent, quando, quousque, etiam apud quos, & denique quæ loqui expediat. Itaque apud omnes eos, qui vel ex officio, vel discendi studio à nobis postulant, liberè edenda est fidei confessio. Et in hoc casu non valet effugium politicum: *Ego sum Christianus professione, non verò confessione.*

13. Spes aded connexa est cum fide, ut sæpe numero hæc duo vocabula permutentur, ut *vers. 15.*

14. Conscientia bona est, quæ peccata præterita punit, & punienda committere refugit, & si peccatum sentit, peccato non consentit, quam si cogitatio inquinat, sanguis Christi lavat. Conscientiæ malæ septem sunt species, est enim cauteriata, nimis lata, nimis arcta, perversa, periculosa, perplexa, & denique scrupulosa.

15. Christus est mortificatus carne, id est, infirmitate humanitatis, & vivificatus spiritu, id est, potentiâ deitatis. Et in spiritu prædicavit spiritibus immorigeris, qui jam sunt in carcere: quatenus videlicet per Noachum ipsis prædicavit pœnitentiam.

16. Figuræ sunt vel res, vel actiones, id est, ritus & ceremoniæ. Suntque humanæ vel divinæ. Humanæ seu profanæ sunt, quæ fiunt delectationis vel necessitatis causâ, ut in monetis, tabulis geographicis, & picturis, coronatione regum, concessione feudorum, desponsationibus, confirmatione contractuum, & præstatione juramentorum. Figuræ divinæ sunt, quæ ad usum cultumque divinum adhibentur, suntque vel quasi vel verè divinæ. Quasi divinæ sunt, quæ ex bonâ intentione citra mandatum & promissionem Dei adhibentur, suntque vel suppletoriæ vel correctoriæ. Suppletoriæ, ut dimissio captivi, quæ quotannis tempore paschali fiebat
à Ju-

à Judæis, in recordationem liberationis ex Ægypto, erat supplementum agni paschalis. Correctoriæ: ut crucifixa, exorcismus in baptismo &c. Figuræ verò divinæ nuntur mandato & promissione Dei, suntque aliæ V. aliæ N. T. Figuræ V. T. dicuntur typi, id est, umbræ rerum futurarum. Figuræ N. T. dicuntur antitypa, id est, figuræ excellentiores typis V. T. Sunt autem hæ figuræ partim in Baptismo, partim in eucharistiâ. Quòd attinet ad baptismum, ille nos servat sacramentaliter, itemque est stipulatio bonæ conscientiæ apud Deum, id est, sacramentum mutuæ stipulationis & restipulationis, quibus duabus partibus continetur fœdus gratiæ.

17. Convenientia diluvii & baptismi concluditur hoc analogismo. Quemadmodum diluvio mundus vetus fuit submersus, & novus mundus emerfit: Ita in baptismo externo habemus sacramentum mortificationis & vivificationis, & cum hoc baptismo externo conjunctus est internus, id est, ipsa mortificatio & vivificatio reapse peragitur. Neque verò hâc ratione duo baptismi constituuntur, sed unus idemque baptismus integratur signo & signato, actione externâ & internâ. Hinc baptismus externus salvat nos sacramentaliter, internus realiter.

18. Sessio Christi ad dextram patris est summus exaltationis gradus, quo in cælo est collocatus supra omnem potestatem, adeoque notat regnum Christi œcumenicum in ecclesiâ triumphante & militante; quod quidem regnum est totius personæ, salvis utriusque naturæ proprietatibus. Itaque humana natura sic est exaltata, ut tamen divinæ non sit exæquata. Non enim gloriam essentialem deitatis accepit, sed gloriam œconomicam mediatoris.

19. Angelorum bonorum hierarchia seu ordo, potest sciri, quantum ad ὄν, non quantum ad δῖον. Fibula itaque non est laxanda curiositati. Hoc nempe scimus, quòd inter bonos angelos sit ordo, sed qualis sit, id verò nescimus.

Q 2

C A P U T I V.

1. **C**Hristus passus est pro nobis, id est, loco nostro, non verò propter nos tantùm, id est, bono nostro, ut Socinus nugatur. Vide *Johan. 10. v. 11.*

2. Mors Christi triplicem fructum habet; respectu Christi, reproborum, & electorum. Respectu Christi est medium & via, per quam introivit in gloriam suam, *Luc. 24. vers. 26.* Respectu reproborum est λύτρωσις sufficiens, quod illi vel non credunt, vel credunt fide historicâ, & ita fiunt ἀναπολογητοί. Respectu electorum est λύτρωσις efficax, quia illud sibi applicant: itemque est exemplum patientiæ, & denique stimulus, quo armamur ad mortem spiritualem, ita ratiocinando: Si Christus passus est in carne & extremo supplicio affectus est, etiam nos pati debemus in carne, crucifigendo carnem, & reputando nostram carnem in Christo quoque extremo mortis supplicio affectam esse. Hic teneatur regula: *Mors Christi liberat nos à morte spirituali animæ, & efficit in nobis mortem spiritualem carnis, & mortem temporalem convertit in συμμόρφωσιν, & denique liberat à morte aternâ animæ & corporis.*

3. Communicatio quâ oratores & concionatores utuntur, in laudando & reprehendendo, non omnes, sed plerosque concernit.

4. Petrus exprobrat Judæis idololatriam, partim scilicet ἰδωλοθρησκείαν, partim collusionem idololatricam cum gentibus.

5. Deus judicabit mortuos, non in sensu composito, sed in diviso: Et ita quoque evangelium dicitur prædicatum mortuis, tempore videlicet diluvii, quod absorpsit non tantùm malos, sed etiam bonos quosdam, ut patet *vers. 6.*

6. Caritas agit intensivè & extensivè. Intensivè, quia Deum, qui est supra omnia, diligit supra omnia, & proximum, qui est juxta nos, diligit juxta nos. Extensivè,

intensivè,

rensiuè, quia complectitur omnes virtutes, itemque diligit omnes omnino homines, tum eos qui foris sunt, tum eos, qui intus.

7. Charitas operit multitudinem peccatorum, non justificando coram Deo, sed condonando coram proximo. Itaque hic canon sancit ignoscentiam, non verò tollit iustitiam vindicatricem.

8. Hospitalitas est politica vel Christiana, & hujus posterioris species palmaria est hospitalitas eleemosynaria.

9. Unica est Dei gratia gratis dans, sed multifaria est Dei gratia gratis data, videlicet interna vel externa, spiritualis vel corporalis, prima & secunda, præueniens vel operans, & subsequens seu cooperans, habitualis & movens, denique ordinaria & extraordinaria. Et ita varietas gratiæ est in numero: deinde est in amplitudine seu gradu per omnes istos numeros. Denique est in distributione, quâ Deus uni plures vel pauciores elargitur gratias. Nostri itaque muneris est acquiescere in gratiâ Dei, & illam ritè dispensare.

10. In ecclesiâ duplex est ministerium, fidei seu eloquiorum Dei, & charitatis seu beneficentiæ.

11. Afflictio est tanquam ignis probationis & consumptionis. Est ignis probationis, quia aurum, argentum, & gemmas, id est, fidem, spem, & charitatem purgat & probat. Est ignis consumptionis, ratione piorum & impiorum. Ratione piorum, quia stipulas & scænum, id est, errores in doctrinâ & vitâ hic ignis consumit. Ratione impiorum, quia afflictio est ipsis prægustus & prodromus æternæ condemnationis.

12. Communio nostra cum Christo est tum lucis tum crucis. Oportet enim ipsi conformari, quantum ad statum exinanitionis & exaltationis.

13. In mediis afflictionibus spiritus Dei & gloriæ super nos requiescit, id est, Spiritus Sanctus, qui dicitur spiritus gloriæ, ratione effecti, & Spiritus Dei ratione originis.

Q 3

14. Passio est aliquid indifferens. Sumitur autem differentia partim à personis, partim à causis juxta illud: *Causa facit martyrion non supplicium.*

15. Πολυπραγμασύνη non est cura rerum multarum, sed est curiositas rerum vel non necessariarum, vel nihil ad se & suam vocationem attinentium. E. gr. si quis velit esse episcopus & princeps secularis simul.

16. Judicium Dei incipit à domo Dei, ratione probationis: terminatur in impiis ratione consumptionis.

17. Justus vix servatur, id est, inter varias ærumnas & tentationes.

18. Debemus animas nostras commendare Deo, tanquam fideli κῆρη, id est, conditori & possessori.

C A P U T V.

PResbyter olim erat idem quod episcopus, ut patet ex v. i. & 2. successu temporis cœperunt hæc duo distingui gradu ordinis & dignitatis, tandem etiam gradu jurisdictionis. Illud utcunq̄ue est tolerabile, hoc planè tyrannicum.

2. Petrus se appellat sympresbyterum. Ergo non fuit caput aut monarcha ecclesiæ, aut princeps Apostolorum.

3. Apostoli erant oculati testes passionum Christi, itemq̄ue testes doctrinæ & vitæ, quatenus nempe passionem Christi annuntiando, & illas in carne suâ representando, fecerunt officium testium. Et ita nos quoque debemus esse testes passionum Christi.

4. Pascere est laboris; ἐπισκοπείν sapientiæ; utrumque, curæ. Cura autem ista est principalis vel ministerialis. Principalis, ut quando paterfamiliâs pascit gregem, tanquam suum peculium, & ita Christus est solus pastor ecclesiæ. Minus principaliter pascit oves, qui non est dominus, sed minister domini. Atque ita pastores

stores pascunt ecclesiam, non ratione dominii, sed ratione ministerii. Non ratione dominii; quia non dominantur ratione scientiæ vel conscientiæ; sed ratione ministerii, quia debent pascere docendo, ducendo, & lucendo. Interim verum est π pascere significare primatum nempe ratione dominii vel directionis. Porro cura ista pastoralis non est propria Petri ut nugantur sophistæ ex *Johan. 21.* sed est communis omnium pastorum.

5. Universum ecclesiæ corpus est clerus, id est, hæreditas domini. Ecclesiæ particulares per oppida & pagos distributæ, sunt totidem cleri, id est, prædia, quorum culturam singulis presbyteris Petrus assignat. Hætenus itaque pastores dici possunt clerici, quia præsumunt cleris, non autem, quòd sine peculiaris clerus.

6. Exemplar est archetypum vel ectypum. Illo modo solus Christus est exemplar doctrinæ & vitæ, quod imitari debent pastores, juxta & auditores: hoc modo pastores debent esse exemplaria gregis.

7. Christus est pastor princeps, id est, non præcipuus modò, sed unicus & universalis.

8. Senior est aliquis vel ætate vel dignitate officii.

9. Subjectio est non-mutua vel mutua. Illa est ratione potestatis, quam habent superiores in inferiores. Hæc est ratione fraternæ charitatis.

10. Providentia Dei complectitur manum ipsius potentem, & cor seu curam paternam.

11. Diabolus est adversarius noster affectu, sed non effectu & eventu.

12. Christus est leo, quia principatum & victoriam obtinet: Diabolus est leo, quia sanguinem sitit nostrum. Item quia nobis nocet immediatè & mediatè, dum nos terret rugitu, per falsam doctrinam, & sævitiâ per tyrannidem.


13. Breviarium panoplæ Christianæ est in fide.

14. Eadem perpeffiones à fraternitate nostrâ, quæ

in toto mundo est, implentur, ratione communionis sanctorum, non ratione satisfactionis.

15. Babylon hoc loco non significat mysticè Romam, sed historicè urbem Chaldææ, ita enim convenit cum simplicitate styli apostolici, & cum apostolatu Petri, & denique cum chronologiâ.

16. Osculum est mundanum, vel Christianum: illud est licitum vel illicitum, hoc semper licitum, utpote symbolum dilectionis in Christo.



II. EPISTOLA PETRI.

CAPUT I.

1. **S**ervus est nomen humilitatis, Apostolus dignitatis.

2. Fides est æquè pretiosa, id est, proportionem arithmeticam infert, quantum ad justificationem, adeoque tollit discrimen personarum & proinde judæum gentili, rusticum nobili &c. æquat: non verò tollit proportionem geometricam, id est, gradus fidei & donorum.

3. Fidem sortimur, id est, quasi sorte & virgulâ divinâ adipiscimur, non verò proprio studio acquirimus.

4. Justitia Dei, justitia Christi, & justitia fidei, in loco de justificatione sunt unum & idem. Nam justitia Dei dicitur, quæ coram Deo valet, & à Deo nobis donatur, & applicatur, ut est perfecta divinæ legis impletio, quam Deus per fidem in Christo nobis imputat, donat, applicat. Eadem vocatur justitia Christi, quia Christus eam pro nobis præstitit, ubi notetur illud *Cofteri: Valet solutio amici pro amico, & maxime amici talis ac tantæ dignitatis*. Denique dicitur justitia fidei; item ex fide & per fidem: quia fides eam in promissione evangelii amplectitur. Hæc omnia conjungit Apostolus ad *Rom. 3. v. 22.*

5. Gra-

5. Gratia, quam Apostoli in limine epistolarum precantur est gratia gratum faciens & gratis data simul, id est, paternus Dei favor, & quæ inde fluunt dona salutaria.

6. Duo sunt fines votorum Christianorum, τὰ ἀεὶς ζῶν & ὑπέσταν.

7. Scripturam sacram commendant & omnibus scriptis anteponunt, hæc duo, præceptiones sanctissimæ, & pomissiones amplissimæ, quibus duobus radiis conspicuus est character sacrarum literarum.

8. Nos efficimur consortes divinæ naturæ, non transmutatione substantiæ, sed inhabitatione & gratiosâ præsentia totius deitatis, & participatione divinorum donorum & virtutum. Nimirum pleonasmus fidei & virtutum fidei, facit ut divinæ consortes fiamus naturæ.

9. Delicta vetera dicuntur, quæ in nobis delentur partim per justificationem, partim per sanctificationem. Neque enim peccata in nobis debent esse nova seu recentia.

10. Electio & vocatio nostri est firma in mente Dei, & fit firma in mente nostrâ & fratrum. Ibi, à priori, per ὑπόστασιν, hîc per ὑπεραξίαν bonorum operum.

11. Si studiosè nos exercuerimus in bonis operibus, minùs erit periculi, ut in peccata prolabamur. Sicut enim alacer miles qui quotidie sese in armis exercet minùs est expositus insidiis hostium: Ita qui semper in studio & stadio pietatis versatur, minùs Satanæ insultibus everti potest.

12. Præsens veritas est, in cujus possessionem certâ fide jam ingressi sumus, & hæc præsentia arguit certitudinem fidei; adeoque excludit certitudinem conjecturalem & moralem, pro quâ sophistæ tanquam pro aris & focis digladiantur.

13. Corpus nostrum est tabernaculum animæ, id est, ædificium debile, quod facile diruitur, & non ægrè deponitur, uti palatium.

Q 5

14. Finem vitæ nostræ præscimus, vel ex ordinariâ revelatione ut Petrus, vel indiciis probabilibus, uti sunt ætas devexa, & infirma valetudo.

15. Petrus sollicitus de suis auditoribus, etiam post mortem, sollicitus inquam est, ratione sui officii, in hac vitâ.

16. Traditiones humanæ sunt fabulæ, subtili artificio ad fallendum compositæ, & veluti mangonizatæ. Nihil itaque solidi habent, sed sunt instar vitri, quod adulteratur, ut habeatur ab imperitis pro gemmâ.

17. Filius Dei est vel æternâ generatione, ut Christus hoc loco *vers. 17.* vel creatione ut Adam, *Luc. 3. vers. ult.* vel denique regeneratione ut omnes credentes, *Johan. 1. vers. 12.*

18. *Eudoxia* Dei consideratur à priori vel à posteriori. Ibi absolutè, ut antecedit omnia salutis media; hîc respectivè, & ita totus Dei amor residet in Christo, quia non aliter nos diligit, quàm in Christo.

19. Eadem est verbi Dei authoritas & firmitas in se; sed respectu hominum sermo propheticus est firmior, quatenus nempe sermo evangelicus pro basi habet propheticum.

20. Totum Dei verbum est lucerna lucens in caliginoso loco, id est, in tenebris hujus vitæ. Hanc itaque lucernam etiam atque etiam adhibeamus, donec dies illucescat, & phosphorus oriatur in cordibus nostris, id est, donec lumen gloriæ in nobis accendatur post hanc vitam. Etsi verò lucerna scripturæ in ordine ad lumen gloriæ est obscura, tamen in se itemque nobis est satis clara.

21. Non sola revelatio extraordinaria, sed etiam scriptura tota fundat certitudinem fidei, suâ nempe firmitate & claritate. Et hæc certitudo est longè major quàm philosophica illa, cujus sunt tres causæ, videlicet principia nobiscum nata, universalis experientia, & demonstrationes ex principiis confectæ. Cùm enim major sit causa certitudinis in negotio fidei, quàm in negotio

gotio

gotio philosophico, putà vox Dei Patris, etiam major est ipsa certitudo.

22. Principium essendi est etiam principium cognoscendi. Quare cum revelatio scripturæ sit à Spiritu Sancto, etiam ipsius interpretatio ab illo pendet, ideoque non à iudicio ecclesiæ, quia ut Hilarius ait: *Optimus est scripturæ lector, qui dictorum intelligentiam non attulerit sed retulerit ex scripturâ.*

CAPUT II.

1. **U**T propheta, sic pseudopropheta est ratione prædictionis vel prædicationis, vel prædictionis & prædicationis simul.

2. Hæresis apud philosophos & Medicos bonam in partem accipitur. Nam & Philosophi decem commemorant hæreses philosophorum: ut hæresin Platoniam, Academicam &c. & Medici habent hæresin methodicorum, dogmaticorum, & empyricorum. Sed in sacris literis & apud ecclesiæ doctores, semper in malam partem accipitur, pro dogmate videlicet, quod sanam doctrinam & sanctam vitam inficit. In hac tali hæresi spectantur tria: forma, efficacia, nota. Forma est, quòd ad hæresin requiruntur ista tria: error, convictio, & pertinacia. Efficacia est major vel minor, universalis vel particularis. Notæ apud nostrum Apostolum hæ sunt: avaritia simoniaca, vaniloquentia, libidinositas, superbia: quæ notæ vel universæ, vel pleræque competunt hæreticis.

3. Mors Christi est tanquam medicina, in quâ spectantur præparatio, oblatio, & applicatio. Ratione præparationis mors Christi, quantum ad magnitudinem, pretium, & sufficientiam pretii, pertinet ad totam causam generis humani, ut significantissimè loquitur Augustinus. Ratione oblationis pertinet ad omnes vocatos. Ratione applicationis, oportet distinguere fidem

justificantem, temporariam, & historicam: itemque gloriationem, opinionem, & judicium charitatis. Quantum ad fidem salvificam, Christus omnes & solas oves suas mercatus est, *Johan. 10.* quantum ad reliqua, Christus etiam mercatus est hypocritas.

4. Aliquis abnegat Christum doctrinâ vel vitâ, directè vel indirectè, idque ratione personæ vel officii.

5. Angeli mali præcipitati sunt in Tartarum, qui est carcer ipsorum ordinarius. Inde autem permissu Dei emittuntur ad ventilandum electos, & seducendum reprobos.

6. Noë dicitur præco justitiæ, quia justitiam Dei comminatus est, & homines ad studium justitiæ invitavit.

7. Noë octavus dicitur servatus, non excludendo, sed includendo reliquos septem: quorum respectu dicitur octavus. Neque enim inter posteros Adami fuit octavus, sed decimus.

8. Mundus in scripturâ est universitas viventium, credentium, & pereuntium, ut patet ex *vers. 5.* collato cum *Johan. 1. & 3.* Hinc Augustinus inquit: *Totus mundus est ecclesia, & totus mundus odit ecclesiam.* Mundus igitur odit mundum, inimicus reconciliatum, damnatus salvatum, inquinatus mundatum.

9. Pœnæ divinæ profunt subjectivè & objectivè. Subjectivè, quatenus sunt virgæ credentium & flagella non-credentium. Objectivè, quatenus sunt exemplar videntium, audientium & legentium.

10. Loth dicitur justus justitiâ inhærente, id est, habituali & actuali, quæ præsupponit justitiam imputatam. Fuit, inquam, justus oculis & auribus, hoc est, omnes sensus tanquam portas peccatorum à sceleribus Sodomæorum avertit. Si tamen hæc duo referas ad vexationem Lothi, res eodem redit.

11. Notitia Dei (nimirum activè sumpta) est theoretica vel practica; & de hâc posteriori loquitur versus nonus.

12. Am-

12. Ambulare post carnem est corruptam naturam ducem sequi; sicut brutæ animantes carnis suæ appetitum pro summo habent duce. Itaque caro non significat substantiam, sed qualitatem.

13. Sancti Angeli custodes ecclesiæ, reverentiam deferunt magistratui, etiam impio & hosti ecclesiæ, non quâ impio & hosti, sed quâ potestati divinitus ordinatæ.

14. Animi instabiles sunt, qui non egerunt radices in fide firmas.

15. Filii execrabiles dicuntur activè & passivè: quia nempe maledictionem, quocumque veniunt, secum adferunt, & proinde digni sunt execratione.

16. Sequi viam Balaam, est linguam venalem habere, ad maledicendum populo Dei.

17. Asina Balaami locuta est humanâ voce, quantum ad materiale, non quantum ad formale sermonis.

18. Donum prophetiæ datur ad bonum, 1. Cor. 12. vers. 7. At idem donum fuit Balaamo ad perniciem, non respectu dantis, sed abutentis. Deinde ubi est donum prophetiæ, ibi est Spiritus Sanctus. Sed non statim ubi Spiritus Sanctus, ibi spiritus sanctificationis.

19. Fontes sunt perennes vel intercalares. Illis comparantur veri: his falsi doctores.

20. Qui verè aufugerunt ab illis, qui in errore versantur, possunt inescari, id est, seduci: amittendo fidem, quæ creditur, non verò fidem quâ creditur. Et ita intelligendus est vers. 20 cum sequentibus. Nam conversio hominis fit vel ad doctrinam fidei, vel ad fidem doctrinæ.

21. Libertas gratiæ, quam Christus nobis peperit, est manumissio à peccato, ut in liberum justitiæ obsequium adducamur. Itaque non libertas sed servitus est, si peccatum in nobis regnet. Hæc tamen servitus non tollit libertatem naturæ, sed illam malè afficit quemadmodum libertas gratiæ illum extollit & perficit.

C A P U T I I I.

1. **P**ura mens est, quæ cum sit lota sanguine Christi non contrahit rubiginem peccatorum.
2. Consensus Prophetarum & Apostolorum est basis fidei nostræ adversus tentationes internas & externas, adeoque etiam adversus irrisores, id est, atheos & epicureos.
3. Continuus naturæ cursus, qualis ab initio creationis fluit, non opponendus est promissioni Dei, ac si res sint contrariæ; quia longa duratio non infert perpetuam mundi durationem.
4. Ignorantia pravæ dispositionis graphicè depingitur *vers. 5.*
5. Terra consistit ex aquis & per aquas, partim ratione primæ emersionis, *Genes. I.* partim ratione perpetuæ constitutionis, quatenus terra & aqua constituunt unum globum: quomodo annulus aureus, qui inclusam habet gemmam, constat ex auro & gemmâ.
6. Verbum creationis idem est verbum sustentationis & corruptionis: quia creaturæ nutu sunt, nutu dissolvuntur.
7. Cælum submersum est diluvio, hoc est, infima cœli aërei qualitas est conversa in aquas.
8. Mensura temporis est vel aliud tempus vel æternitas. Ibi tempus est brevissimum vel longissimum, hinc omnia secula instar momenti evanescent.
9. Patientia Deo tribuitur, non tanquam motus affectionis, sed tanquam modus effectiois, quâ Deus facit, quod homines patientes solent facere.
10. Deus non vult ullos perire, hoc est, numerum electorum vult compleri. Illorum enim bono differensuum adventum.
11. destructio mundi erit partim substantialis, id est, species annihilationis, partim accidentalis, id est, species restitutionis in integrum. Atque hoc est, quod
Petrus

Petrus innuit: Cœlum & elementa peritura radicitus, hoc est, non secundum superficiem, sed secundum substantiam illam, nempe quæ facit ad perfectionem mundi, uti servit huic vitæ animalis.

12. Ignis conflagrationis in ultimo die haud dubiè ita agit in mundum, sicut ignis vulgaris agit in metalla. Apostolus enim nominat *τηξιν*, id est, liquefactionem metallicam.

13. Pietates ab Apostolo dicuntur pro exercitiis & officiis pietatis, quia nempe pietas non uno continetur actu, sed infinitis integratur actibus.

14. In cœlis novis & terra nova inhabitabit justitia, hoc est, omnia erunt *συνεργα* ad justitiam, sicut in hac vitâ omnia sunt *συνεργα* ad injustitiam.


15. Credentes in Christum sunt incontaminati & irreprehensi, quatenus sunt in pace, id est, quatenus conscientiam pacatam habent in Jesu Christo.

16. Res Dei sunt obscuræ, res scripturæ sunt claræ. Ratio prioris est, quia res Dei sunt mysteria, quæ sunt obscura homini animali. Ratio posterioris: quia modus docendi usque adeò est clarus in scripturâ, ut à quolibet homine sanæ mentis possit capi. Atque hæc Lutheri distinctio fundatur in *vers. 16.* ubi verba ista, *ὡς οἷς* non debent referri ad *ταῖς ἐπιστολάς*, sed ad verbum *περὶ τῶν*. Porro quòd mysteria scripturæ sint *δυσνόητα*, id accidit gemino vitio, imperitiæ nimirum & instabilitatis.

17. Quæ scripturæ dicta à nobis requirunt sollicitudinem in conservandâ fide, non arguunt incertitudinem salutis, neque suadent dubitationem papisticam, sed potiùs illam jubent amoliri hâc ipsâ sollicitudine. Opponitur enim illa sollicitudo torpori & ignavia, & admonet nos nostræ infirmitatis, & excitat ad studium pietatis. Hujusmodi enim dicta non loquuntur de electione, vocatione, aut justificatione; sed de sanctificatione.

18. Particula *A M E N* ponitur aut in principio, aut

in fine sententiæ. In principio est nota asseverationis vehementis, non verò jurisjurandi formula. In fine est particula vel confirmantis, vel optantis, vel denique confirmantis & optantis simul.



I. JOHANNIS EPISTOLA.

C A P U T I.

1. **C**H R I S T U S fuit in principio æternæ generationis, quatenus est filius Dei: & in principio æternæ dilectionis & electionis, quatenus est Mediator; item in principio creationis & revelationis. Atque ita habemus normam antiquissimæ religionis.

2. Etsi sensus non fundant certitudinem fidei, tamen sunt media, per quæ fides accenditur & fovetur. Deus autem occupat omnes nostros sensus in verbo & sacramentis: inprimis occupat sensus logicos, quos vocant, id est, visum & auditum: atque hinc est distinctio verbi, quòd sit audibile & visibile.

3. Christus est λόγος: quia ut sermo est index animi: sic Christus est expressa imago substantiæ Patris. Deinde Christus est verbum Dei, per quod omnia jubet & facit. Denique est verbum, per quod Pater nobis proponit & exponit voluntatem suam de nobis & à nobis. Itaque Christus est λόγος ratione generationis æternæ, creationis, & patefactionis gratiæ.

4. Christus est verbum vitæ subjectivè & effectivè, quia in ipso est vita & vitam aliis communicat, partim in creatione, partim & præcipuè in redemptione.

5. Christus est vita æterna, non tantùm, quia vivit ab æterno in æternum, quâ Deus & quâ filius Dei; sed etiam est author vitæ æternæ in nobis, quatenus nos facit reviviscere & vivit in nobis per spiritum, & denique largitur vitam æternam.

¶ Homo

6. Homo habet communionem cum Deo, vel cum homine, vel cum mundo, vel deniq; cum diabolo. Communio cum Deo ante lapsum oriebatur ex fœdere legali, post lapsum fluit ex fœdere Evangelico. Et hæc communio est scopus scripturæ & sacramentorum. Ista communio spectatur in fundamento, modo, seu signo, vel fructu suo. Fundamentum est dilectio Dei in Christo. Modus sive forma est, quòd hominis communio est cum SS. Trinitate & nominatim cum Christo. Communio cum SS. Trinitate est in eo, quòd participes simus divinæ naturæ: cum Christo, quatenus habemus communionem carnis, beneficiorum, & crucis. Itaque hæc communio est imperfecta & perfecta. Imperfecta ratione sanctificationis: perfecta, tum in hâc vitâ, ratione justificationis, & in futurâ, ratione glorificationis. Ideò Johannes noster dicit: *gaudium nostrum esse perfectum*. Signum communionis hujus est ambulare in luce.

7. Deus est lux, quia purissimus est in suis attributis & operibus: quia mentes nostras illustrat & gressus dirigit. Denique quia nos exhilarat.

8. Benignitate Dei expiatur iniquitas, *Prov. 16. v. 6. & v. 9. hujus capituli*: nempe ut causâ efficiente primâ remissionis peccatorum: rursus sanguine Christi expiatur iniquitas, ut causâ meritoriâ ejusdem remissionis. Deniq; sacrificiis & sacramentis expiatur iniquitas, *Ephes. 5. v. 26.* nempe instrumentaliter. Porro sanguis Christi purgat nos ab omni peccato: partim merito expiationis: partim efficaciam applicationis, & quidem totaliter atque universaliter. Denique sanguis Christi hoc præstat, ut est sacrificium Filii Dei, ita ut hinc perperam concludatur omnipotentia & ubiquitas carnis Christi.

9. Omnes homines habent peccatum, etsi peccatum non habet omnes homines, tanquam videlicet mancipia sibi addicta: quòd autem Christus *Joh. 9.* ait, cæcum non peccasse nec parentes ipsius, id speciatim

R

de abnormi peccato est intelligendum, quòd nempe causa est singularis iudicii Dei in personâ peccantis vel suorum parentum.

10. Confessio peccatorum interna est simpliciter necessaria; externa secundum quid.

11. Deus fidelibus confitentibus peccata sua remittens, dicitur & est justus; non iustitia æqualitatis, sed veritatis & fidelitatis, hoc est, non quòd pro confessione debeat, sed quia confitentibus promisit gratis remittere peccata propter Christi sanguinem.

C A P U T II.

1. **A**uditores in ecclesiâ sunt filii pastorum, generaliter & speciali ratione. Omnes enim sunt filii propter generationem, educationem, & defensionem spirituales, quidam etiam propter ætatem.

2. Christus est paracletus seu advocatus noster, apud patrem apparendo & intercedendo, quomodo miles vulnera sua, quæ pro patriâ accepit, ostendit principi, & ita efficacius loquitur, quàm quilibet alius. Itaque est advocatus noster in cælo: sicut Spiritus sanctus est advocatus noster in corde.

3. Christus est propitiatio pro peccatis totius mundi tribus modis. 1. quia ut totus mundus in maligno est positus propter zizania per totum mundum sparsa, 1. Joh. 5. sic totus mundus à Christo est redemptus, propter triticum quod per totum mundum est dispersum. Ita ergò totus mundus est ecclesia N. T. quæ dispersa est per totum mundum, & opponitur ecclesiæ Judicæ. 2. quia hâc ratione indicatur terminus à quo vocationis, quâ ecclesia vocatur ex mundo. 3. quia causa hæc est communis totius mundi, non autem unius vel alterius propria. Atque hanc interpretationem probant **Cyrillus, Hieronymus, & Augustinus**, quando disertè
disting.

distinguunt inter mundum perditionis & mundum redemptionis.

4. Notitia Dei (passivè sumpta) quâ scilicet Deus à nobis cognoscitur, est theoretica, vel practica. Illa est noxia: hæc oppidò fructuosa, & consistit in observatione mandatorum Dei, unde meritò appellatur affectiva.

5. Debemus diligere fratres ut dilectio Dei in nobis compleatur: perfectione videlicet partium & sinceritatis.

6. Debemus ambulare, sicut Christus ambulavit; non quòd possimus perfectionem illam consequi, sed quia imperfectionis norma debet esse perfecta.

7. Mandatum de dilectione est novum & vetus, *vers. 6. 7.* collato cum *Joh. 13.* Est novum, quia Judæi erant obliti charitatis, & quia Christus renovavit, inculcavit de novo, & morte suâ, quæ est mors N. T. obsignavit. Denique quia est signum novitatis vitæ. Est vetus, quantum ad substantiam doctrinæ.

8. Qui diligit fratrem, in eo non est scandalum, scilicet activè & passivè: quia in ipso non est res nocens dicto, facto, & exemplo.

9. Peccata remittuntur nobis propter nomen Christi, id est, propter Christi merita: ut enim nomen Dei est ipse Deus, ratione essentiæ, attributorum & operum: ita nomen Christi est ipse Christus, ratione personæ & officii.

10. Diabolus est *ὁ πονηρὸς*, quia *πόνον φέρει* electis intrà & extrà, suprà & infrà, ad dextram & sinistram. Hunc verò laborem Christus suo labore destruxit, & nobis assistit spiritu suo intrà & extrà, suprà & infrà, ad dextram & sinistram.

11. Mundus est vocabulum substantiæ vel accidentis, & hoc posteriori modo significat specialem universitatem credentium vel malignantium, unde planum est, quomodo mundus transeat.

12. Omnia peccata revocantur ad tria capita, uti sunt
 1. concupiscētia carnis, h. e. cordis *αλαξία*. 2. concupiscen-
 tia oculorum, hoc est, vanitas hominis, quæ occupa-
 tur in libidinibus vagis, & inani pompâ hujus mundi.
 3. superbia, quæ est interna & externa &c. ubi non ab-
 re fuerit observare illud Ciceronis: Cupiditates aliæ sunt
 naturales & necessariæ: aliæ naturales, non tamen ne-
 cessariæ: aliæ nec naturales nec necessariæ.

13. Totum tempus, inde à creatione ad finem secu-
 li, dividitur in tres horas; quarum prima est ante legem
 scriptam, secunda sub lege scriptâ, tertia post legem scri-
 ptam. Atque hæc tertia hora dicitur ultima, quia ipsâ
 elapsâ erit acta fabula mundi.

14. Antichristus, vi nominis est, qui se Christo op-
 ponit. Hoc autem aliquis facit directè vel indirectè,
 explicitè vel implicitè, corde vel ore, doctrinâ vel vitâ,
 particulariter vel universaliter, magis vel minus. Hinc
 Johannes *vers. 18* hujus capituli ait, unum esse Antichri-
 stum, scilicet eximium; multos esse Antichristos, nem-
 pe prodromos & succenturiatos. Generatim autem de-
 finit Antichristum, quod neget patrem & filium, *vers. 22*
 hujusdem capituli, & *cap. 4. vers. 3*. Qui non confitetur
 Christum in carne venisse: quæ definitio recurrit po-
 steriori epistolâ, *versu 7*. Hæc itaque definitio: Anti-
 christus est, qui negat Patrem & Filium, sic est intel-
 ligenda: Qui negat Filium is negat & Patrem: quia
 hi duo sunt una essentia. Quid verò? An qui negat
 Filium, & negat ipsum in carne venisse, statim est An-
 tichristus? R. Utique. Ista verò negatio fit tribus mo-
 dis, ratione personæ, naturarum, & officii. Cæterum
 Papa hoc omne facit. Nam quicumque Christum in
 nihilum redigit, ille reverâ negat incarnationem Chri-
 sti. Sed Papa Christum redigit in nihilum: quando ejus
 gratiam & meritum & efficaciam abolet meritis ope-
 rum, vi liberi arbitrii, multitudine patronorum, sacri-
 ficio Missæ, & aliis id genus. Ideò dicit Johannes,
 Christum venisse in carne, ut incarnationis causam
 subin-

subindicet: quâ negatâ, protinus negatur & ipsa incarnatio. Venit enim Christus in carne ut sit perfectus mediator, quam confessionem non retinet, qui Christum spoliant, vel deitate perfectâ, vel humanitate perfectâ, vel efficacitate perfectâ.

15. Sicut paleæ, tametsi tritico in eâdem areâ permixtæ sunt, non tamen ideò in tritico censentur. Ita multi sunt in ecclesiâ, qui tamen non sunt de ecclesiâ. Ideò Johannes dicit: *Exierunt ex nobis*, id est, ex ecclesiâ visibili, *sed non erant ex nobis*, id est, non pertinebant ad ecclesiam invisibilem.

16. Pater est ὁ πατήρ, Filius est ὁ υἱός, Spiritus Sanctus τὸ ἅγιον, id est, unctio, quam nos habemus à Christo, Spiritus Sanctus dicitur autem unctio: Sicut Christus *vers. 2.* hujus capitis expiatio. Quæ utraqûe fuit figurata in V. T.

17. Spiritus Sanctus nos ungit Prophetas, Sacerdotes, & Reges; & facit, ut noverimus omnia, scilicet ad salutem necessaria.

18. Unctio, id est, Spiritus Sanctus, ita nos docet omnia, ut non opus sit aliquem nos docere, non quòd externa institutio nullius sit momenti, sed quia hæc nihil prodest sine internâ. Non enim homo aliquid discit ab homine in salutis negotio, si non sit intus qui doceat.

C A P U T I I I.

1. **D**Eus nobis dedit hanc charitatem, ut vocemur filii Dei, hoc est, charitatis suæ tanquam fontis rivulos in nos effudit, & nos adoptavit in filios. Unde hæc charitas Dei à veteribus elegantissimè dicitur charitativa.

2. Sciendi vocabulum adhibet noster Apostolus, ut fidei certitudinem designet, eoqûe discernat ab opinione. Neque verò simplex aut universalis scientia hîc no-

tatur, sed specialis, quam sibi quisque aptare debet, ut certo statuat se Deo fore aliquando similem.

3. Similitudo Dei in hâc vitâ incipit quoad quale, in futurâ quoad quantum.

4. In alterâ vitâ videbimus Deum sicut est, non quòd τὸ ἀκριτέληπτον τοῦ Θεοῦ simus comprehensuri: sed quia comprehendemus totum τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ. Et hoc sensu beati dicuntur comprehensores.

5. Debemus nos purificare, sicut Deus purus est, ad perfectionem contendendo, non autem eam in summo gradu intendendo.

6. Formale peccati est ἀνομία, sive sit habitualis (adeoque & originalis) sive actualis; & rursus sive sit voluntaria, sive involuntaria. Porro formale peccati tollitur in hâc vitâ, non à priori, sed à posteriori; hoc est, quantum ad reatum culpæ & pœnæ.

7. Renati non peccant, & ne peccare quidem possunt. 1. quâ renati. 2. non peccant datâ operâ, secure, & petulanter; sed gemendo luctantur. 3. non peccant impœnitentes, sed dolentes & ulciscentes. 4. non peccant finaliter, sed resipiscunt. Uno verbo: renati non peccant ut impii, qui peccato regnum permittunt.

8. Justus coram Deo consideratur vel à priori vel à posteriori. Illo modo justus est, qui habet justitiam Christi: hoc modo justus est, qui facit justitiam. Et hanc justitiam considerat Johannes, *vers. 7.* & deinceps, quia ipsi non est propositum demonstrare modum, sed finem & fructum justificationis.

9. Semen Dei manet in renatis, hoc est, Spiritus Sanctus cum suis donis, quæ ille in cordâ nostrâ jacet, non secus atque agricola semen spargit in agrum. Et ita Spiritus Sanctus est semen Dei primarium. Alioqui verbum Dei est etiam semen Dei, nempe secundarium. Nam utriusque seminis efficaciam renascimur: illius quidem principaliter, hujus verò instrumentaliter.

10. Antiquitas sola non sufficit ad probandam doctrinam, sed antiquitas fundata in scripturâ.

II. Con-

11. Conjunctio $\delta\tau\iota$ semper est causalis; quia notat causam essentiae vel consequentiae, & notitiae. Essentiae, ut *vers. 9. Quisquis natus est ex Deo, peccato non dat operam: quia ($\delta\tau\iota$) semen Dei manet in ipso.* Consequentiae, ut *vers. 14. Nos sumus translati ex morte ad vitam, quia diligimus fratres.* Confer *vers. 22.*

12. Lex à nobis requirit obedientiam, non duntaxat externam; sed etiam, & praecipue quidem internam. Ideò Johannes dicit: *Odium fratris esse homicidium.*

13. Vita aeterna manet in nobis, quamdiu diligimus, ex verâ nempe fide. Ratio est, quia vita aeterna hîc inchoatur per fidem & continuatur per charitatem.

14. Duplex est fructus & finis mortis Christi, redemptio & ostensio charitatis, & exemplum. *Johan. 16.* posteriorem finem spectat, priorem alibi exprimit. Quid autem? An debemus animam ponere pro fratribus? Respondetur ex veteri regulâ: *Charitas contemnit vitam & bona temporalia, quando salus spiritualis proximi hoc requirit.*

15. Proximus est diligendus affectu & actu, linguâ, & opere.

16. Duplici testimonio possumus probare, quòd ex veritate sumus, hoc est, quòd verè sumus filii Dei. Primum testimonium est fidei, alterum charitatis: quæ duo testimonia individuo cohærent vinculo.

17. Cor sive conscientia nostra nos condemnat & absolvit duobus modis. Primò conscientia condemnat reprobos, & quidem ita, ut illa condemnatio sit praegustus & prodromus aeternæ damnationis. Deinde conscientia condemnat electos, quatenus se intuentur extra Christum, & rursus quatenus quidem sunt in Christo, sed peccant. Quod attinet ad absolutionem conscientiae, illa est falsa vel vera. Illa est in hypocritis, hæc in electis, qui se ipsos absolvunt absolutione universali & particulari: ibi est justitia personæ in Christo, hîc est justitia causæ & facti in ipsismet electis. Atque

hinc patet, quid intersit inter syllogismum practicum, quem format cōscientia hominis, ut homo est, & quem format conscientia hominis, ut Christianus est.

18. Quicquid petimus à Deo, accipimus ab ipso, si precatio nostra sit non tantum vocalis, sed etiam mentalis, & vitalis, ut loquuntur. Mentalis autem est, quæ nititur fide, cujus regia sedes est in mente sibi applicante gratiam Dei. Eadem est vitalis, quatenus conjuncta est cum praxi & studio pietatis.

19. Credere nomini Christi est ipsum amplecti, prout offertur in prædicatione Evangelii: ubi utrumque ipsius nomen sonat, puta Jesus & Christus.

20. Summa Theologiæ absolvitur fide & charitate, seu credendis & faciendis. Itaque theologia non est theoretica tantum, neque practica tantum, sed composita ex teoriâ & praxi.

21. Spiritus Dei, quem ille nobis dat, duobus modis in nobis agit: obfirmando & regenerando. Duplex igitur est *κείνη* unionis & communionis nostræ cum Deo.

C A P U T I V.

1. **D**octores, qui dono spiritus præditi sunt, aut saltem illud jactant, dicuntur spiritus per metonymiam.

2. Debemus probare spiritus num ex Deo sint. Hoc autem debent facere omnes in universum Christiani: sive sint privatæ sive publicæ personæ. Deinde omnium hominum spiritus sunt probandi, sive iterum sint privatæ sive publicæ personæ, ut frustra sit Bellarminus, quando testimonium Johannis universale restringit ad spiritum hominum privatorum. Porro probandi sunt spiritus, an sint ex Deo, hoc est, an doctrinam Deo dignam proponant. Ea verò doctrina est Deo digna, quæ verbo ejus est consentanea. Nam verbum Dei est canon,

non,

non, *Gal. 6. v. 16. Phil. 3. 16.* Est itaque scriptura canon; cujus vis est in dirigendo & dijudicando seu discernendo, juxta regulam: *Rectum est index sui & obliqui.*

3. Confessio de incarnatione Christi debet esse plena, non verò semiplena. Itaque non solum illi negant Christum in carne venisse, qui naturas tollunt, sed etiam qui proprium incarnationis fructum enervant. Hoc enim est ex dimidiâ parte Christum profiteri.

4. Antichristus jam erat tempore Apostolorum, tum quia erant multi Antichristi, ut Cerinthus, Ebion, & alii, tum quia magnus Antichristus erat, quantum ad sui conceptionem: quam postea excepit nativitas, infantia, ætas virilis, & ætas ingravescens. Sic itaque habendum est de Antichristo. Latè omnis spiritus, qui Christum impugnat, est Antichristus: & hoc sensu Turca dicitur Antichristus orientalis, strictè magnus Antichristus est Papa, utpote cui soli typus apud Daniele, mysterium iniquitatis apud Paulum, & descriptio Apocalypica potest tribui.

5. Victoria, quam electi reportant de mundo, inde est, quòd illi non propriâ sed Dei virtute fortes sint. Itaque non magis vinci possunt, quàm Deus ipse.

6. *Vox mundus* in scripturâ habet octo significaciones, hoc ordine. 1. est universitas rerum, *Joh. 1. v. 10.* 2. est orbis terrarum, *Johan. 1. 9.* 3. quicquid extra veri Dei in Christo notitiam homines in mundo, ut pretiosum, ambiunt, cupidè retinent, & amissum deflent, ut hoc loco, *vers. 5. & cap. 5. vers. 4. 5.* 4. Electi à Deo ex mundo collecti & per mundum dispersi. Et hæc significatio in canone occurrit novies & decies, ut hoc loco, *vers. 14. & 2. Cor. 5. 19.* 5. omnes non regeneriti, *Johan. 1. vers. 10.* 6. Impii, qui vixerunt ante diluvium, *2. Petri 2. vers. 5.* 7. Judæi, *Johan. 12. vers. 19.* 8. Ceremoniæ Judaicæ, *Col. 2. vers. 8.*

7. Homo habet spiritum veritatis vel erroris. Spiritus veritatis est, qui ex Deo loquitur. Spiritus erroris est, qui ex mundo loquitur.

R 5

8. Dilectio vera est, quâ diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum. Nihil enim est amabile seu diligibile, ut ita dicamus, extra Deum.

9. Deus est charitas, *vers. 8. & 16.* & formaliter, seu subjectivè, & causaliter seu effectivè, & materialiter seu objectivè. Nam ejus natura est amare tum se, tum omnia sibi conformia; & efficere, ut aliquid sit amabile & perficere amantem.

10. Notitia Dei vera nos refingit, ut Deo simus conformes. Fieri enim non potest, quin hujusmodi notitia nos Deo conformet: quandoquidem vera cognitio est assimilatio cognoscentis & cogniti. Vanum itaque est commentum de fide informi, quia si quis fidem à charitate separet, perinde facit, ac si calorem à sole auferat.

11. Omnia Dei beneficia sunt monumenta amoris ejus erga nos. Nam amor Dei est fons, ex quo beneficia tanquam rivuli promanant: ut rectè sit dictum à Thomâ de Kempis: *Omnia fluunt à fontali bonitate Dei.*

12. Amor communicationis non semper invenit objectum amabile, sed vel invenit, vel facit amabile, & hoc posterius est in Deo, *vers. 9. & 19.* Amor complacentiæ occupatur circa objectum amabile tantum. Deus ab æterno nos dilexit, non quòd ipsum priores dilexerimus, aut quòd ipsi placuerimus; sed quia placuit ipsi nos per filium sibi facere placentes. Itaque amor Dei est planè gratuitus: amor inquam antecedens, tum consequens. Nam licet amor Dei consequens oriatur à donis, quæ habemus, tamen & ista dona sunt ex gratiâ. Itaque amor Dei semper est indebitus, quatenus non provocatur à re aliquâ in nobis præexistente. Etsi interim verum est, quòd amor consequens sit debitus vi pacti seu fœderis, & promissionis Dei.

13. Deum nemo vidit unquam, scilicet lumine naturæ,

turæ,

turæ, aut in ipsius substantiâ, aliâs in lumine gratiæ, & lumine gloriæ videmus lumen Dei, non quatenus est inaccessible, *1. Tim. 6. v. 16.* Sed quatenus per Christum est accessibile, *Johan. 1. v. 18.*

14. Quia Deum non videmus, debemus diligere filios ejus, adeoque fratres nostros tanquam Dei vicarios. Nam dilectio fratrum est ipsissima dilectio Dei: quoniam in eo obedimus Deo, & frater supplet vices Dei, ut eleganter ait Johannes Mariana: Confer *vers. 20. & 21.*

15. Si diligamus invicem, charitas Dei perfecta est, *vers. 12. 17. 18.* Charitas inquam Dei activè & passivè, hoc est, tum illa, quâ ipse nos diligit, tum ista, quâ nos illum diligimus. Ratio prioris est, quia charitas Dei in nobis hoc efficit, ut diligamus nos invicem, quæ est ipsius perfectio in nobis. Ratio posterioris est, quia charitatis duæ sunt partes, dilectio Dei & fratris. Qui eos diligit, charitatem suis componit & perficit partibus, ut rursus eleganter ait Mariana. Charitas itaque perfecta est, quæ constat ex amore Dei & fratris.

16. Spiritus Dei cognoscitur ex charitate, ad quam nos impellit.

17. Christus est salvator mundi: tum quia universo mundo propositus est: tum quia non est servator populi Judaici tantum (quâ opinione imbuti erant Judæi) sed omnium credentium per universum mundum.

18. Charitas perfecta tria in nobis operatur. 1. fiduciam in Deo. 2. conformitatem cum Deo. 3. gaudium coram Deo. Nam charitas perfecta confirmat fiduciam illam, quam fides ex se parit. Deinde hæc eadem charitas facit ut magis & magis conemur esse similes illi, quem amamus, & qui nos tantoperè amat. Denique charitas perfecta tollit & pellit timorem seu metum vindictæ, sed non timorem offensæ.

C A P U T V.

1. **O**bjectum fidei justificantis principale est Christus, unde ille dicitur scopus universæ scripturæ, quæ est veluti circumferentia, cujus centrum est Christus.

2. Objectum charitatis proximi principale sunt Christiani seu regeniti: quia videlicet objectum charitatis est analogum objecto fidei.

3. Generatio ex Deo est univoca vel æquivoca. Priori modo Christus gignitur à Patre ab æterno in æternum, actu immobili. Posteriori modo fideles gignuntur ex Deo. Itaque hæc generatio fit ex gratiâ, & simul tollit omnem præparationem & dispositionem quæ sit ex parte nostrâ. Est enim hæc generatio spiritualis motus à non esse ad esse.

4. Hic est verus ordo in charitate, si Deus priores partes teneat, & homo neque seipsum, neque alium hominem amet extra vel supra Deum.

5. Mandata Dei gravia non sunt. 1. filiis Dei, idque ratione imputationis & inchoationis. 2. In seipsis, sive in suâ naturâ, quia nil nisi amorem requirunt. 3. ratione obedientiæ evangelicæ. 4. ratione facilitatis, quæ est propria Novi Testamenti. At eadem mandata sunt gravia. 1. non renatis. 2. renatis & non renatis simul, ratione perfectæ impletionis & justificationis. 3. respectu infirmitatis nostræ. 4. respectu oneris ceremonialis in V. T.

6. Fides vicit mundum, duobus modis. 1. quatenus apprehendit Christum cum suâ victoriâ, *Johan. 16. vers. ult.* 2. quatenus mundanas cupiditates in nobis mortificat.

7. In Christo est solida umbrarum legis substantia. Universa autem sanctitatis & justitiæ perfectio in lege figurabatur per aquam & sanguinem. Aquâ enim

nim

nim abluebantur sordes, ut homines non nisi puri ad Deum accederent. In sanguine erat expiatio & plenæ cum Deo reconciliationis pignus. Hæc duo sunt impleta in Christo quando ex ipsius latere simul effluerunt aqua & sanguis. Itaque in Christo est cornucopia justificationis & sanctificationis.

8. Corruptio textus sacri nulla est, si spectes substantiam & omnia in universum exemplaria, at verò si spectes nonnulla exemplaria, est ibi quædam corruptio, sed ejusmodi, ut essentiam textus sacri non pervertat. Itaque versus septimus est erasus ab Arrianis, qui sub Constantio & Valente rerum potiebantur. Sed antea fuit revera hic idem versus in exemplaribus, nam Cyprianus, qui coronatus est martyrio anno Christi 260 hunc versum citat.

9. Tres sunt in cælo qui testantur, ergo est illorum testium Trinitas, quod argumentum ab implicito ad explicitum qui negant, næ illis opus est helleborum!

10. Tres illi qui testantur in cælo, sunt unum, nempe consensu, voluntate, & essentiâ. Nam unitas essentiæ ipsorum est fundamentum unitatis in voluntate, & unitas voluntatis est fundamentum consensus in testimonii dictione. Atque hæc est causa, quòd Apostolus dicit: *Hi tres, ἐν εἰσι* cum de tribus testibus in terrâ dicat, hi tres in unum sunt.

11. Cùm tres testes requirantur in judicio perfecto, deitas Christi firmissimè probatur ex testimonio trium testium in cælis, & trium testium in terris, hoc modo: Pater testatur Christum esse Filium suum, tum passim in Veteri & Novo Testamento, tum in primis in baptismo Christi, *Matth. 3.* & in ejus transfiguratione, *Matth. 17.* Λόγος testatus est de seipso, partim per patriarchas, prophetas, & Apostolos; partim immediatè per sua oracula quæ fudit, & per miracula quæ fecit. Spiritus Sanctus testatus est de Christo, partim per prophetas & Apostolos, partim in specie co-

lumbæ & ignis, *Matth. 3. Actor. 2.* partim adhuc testatur in cordibus nostris. Aqua porro & sanguis testantur de Christo tribus modis, 1. quatenus in Veteri Testamento fuerunt adhibita. 2. quatenus aqua & sanguis & magnâ copiâ, & distinctè fluxerunt è latere Christi. 3. quatenus baptismus & sacra Cœna à Christo sunt instituta. Neque verò hinc sequitur, quòd sanguis Christi corporaliter sit in, cum, & sub vino. Nam sanguis hoc loco & metonymicè & synecdochicè significat totam sacram Cœnam. Ad extremum & spiritus testatur in terris, hoc est, ministerium verbi: quod continet spiritum, etiam ratione sacramentorum. Atque hæc est causa, quòd Apostolus *vers. 6.* dixit: Spiritus est ipsissima veritas.

12. Pater aliquis dicitur propriè vel impropriè. Propriè, qui est pater naturâ. Impropriè, qui est pater imitatione seu similitudine naturæ, hoc est, adoptione, doctrinâ vel informatione, honore seu dignitate, & reverentiâ seu ætate. Itaque hæc vox *Pater* *ὑποκεικώς* usurpata de primâ personâ Sacrosanctæ Trinitatis accipitur propriè. At eadem usurpatur tropicè, quando sumitur *ἰσοδώς*, quo sensu Deus est Pater omnium jure creationis, & specialiter suorum electorum jure redemptionis. Sicut enim jus creationis, ita & redemptionis communiter pertinet ad tres personas, etsi peculiari ratione creatio tribuitur Patri, & redemptio Filio.

13. Christus est *λόγος*, id est, sermo, seu verbum, quæ interpretatio confirmatur ex eo, quòd Christus in Veteri Testamento appellatur *מַלְאָךְ* & *דְבַר*, 1. *Samuel. 3. vers. 21.* 2. *Sam. 7. vers. 21. cap. 23. vers. 2.* *Haggai 2. vers. 4. 5. 6.* Ratio hujus nomenclaturæ mysticæ est in personâ & officio Christi. Sicut enim sermo gignitur à ratione, & est illius character: ita Filius à Patre gignitur, & est character *ὑποστάσεως* ipsius, ideò Christus Tertulliano dicitur notitia Patris & ejus repræsentator.

tator. Deinde Pater per hoc verbum omnia creavit. Postremò, sicut nos per sermonem animi nostri sensa alicui exponimus: ita Christus nobis λέγει, id est, eloquitur voluntatem Patris de nobis & à nobis, idque per prophetas & Apostolos, per Spiritum Sanctum in cordibus nostris, & in naturâ humanâ in his terris ambulante.

14. Spiritus est vox substantiæ vel accidentis. Rursum ut est vox substantiæ, usurpatur & de Deo & de creaturis: iterum de Deo usurpatur γενικῶς, vel παρομοιωτικῶς, personaliter, & sic tertia persona trinitatis est Spiritus, & quidem triplici de ratione. 1. Quia procedit à Patre & Filio, ut unâ spirantibus, spiratione scilicet hyperphysicâ, cujus imago est in spiratione illâ, quâ voluntas spirat ex se affectus. 2. Quia spiratur à Patre & Filio, hoc est, mittitur in corda nostra, quam in sententiam Prudentius de Patre ita canit:

Spirat de patrio corde paracletum.

3. Quia Spiritus Sanctus ipse spiratur in nobis, id est, sanctos motus efficit. Porro hic Spiritus dicitur Sanctus: quæ vox æquè ad Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum pertinet ἁγιότης, sed ἰδιοσυλικῶς est propria tertiæ personæ: quia nempe illa immediatè sanctificat.

15. Testimonium Dei est externum vel internum: illud fit per ministerium verbi, aquæ, & sanguinis: hoc Spiritus Sanctus cordibus nostris reddit, & dicitur testimonium activum; cui debet respondere testimonium passivum cordis nostri, quod recipimus illud testimonium Spiritus, tanquam inappellabile & omnî exceptione majus. Itaque Deus est summus iudex in foro suo. Proinde qui docent evangelio non esse credendum, nisi propter ecclesiæ autoritatem, non minus Deum mendacem faciunt, quàm qui Evangelio planè non credunt. Deinde qui credunt in Filium Dei, habent testimonium in se ipsis. Ergò non opinantur

nec dubitant, sed ipsissimo cordis sensu norunt se credere.

16. Vita æterna in solo Christo est reposita, & proinde in ipso quærenda per fidem. Ergo qui alibi eam quæerunt, puta apud sanctos & in suis meritis, illi utique excidunt jure vitæ æternæ.

17. Sicuti Sol est lux, & lucem ex se spargit: ita fides justificans est fiducia & fiduciam ex se procreat.

18. Preces fidelium semper exaudiuntur à Deo, si fiant ex fide, hoc est, si bona spiritualia in specie, temporalia in genere, absolute; in specie cum conditione divinæ voluntatis & nostræ salutis, à Deo petamus. Debent autem preces istæ concipi, tum pro nobis, tum pro fratribus nostris.

19. Peccatum aliud est ad mortem, aliud non ad mortem, id est, irremissibile vel remissibile, non autem mortale vel veniale. Etsi enim omne peccatum est ad mortem in sensu generali, quantum ad reatum, non tamen omne peccatum est ad mortem in sensu speciali, quantum ad eventum infallibilem, quem Apostolus hoc loco respicit. Quia scilicet ut Deus illud punit finali infidelitate & impœnitiâ: non quòd potentiâ & voluntate suâ absolutâ non possit illud condonare, sed quia non potest nec vult potentiâ & voluntate actuali & ordinatâ, quâ decrevit non convertere illos, qui veritatem agnitam malitiosè abjiciunt, & petulanter blasphemant, & perseveranter persequuntur. Scholastici docent peccatum hoc in spiritum sanctum committi sex modis: præsumptione de misericordiâ Dei, desperatione de misericordiâ Dei, impugnatione veritatis agnitæ, invidentiâ fraternæ gratiæ, obstinatione, & impœnitiâ: sed Christus *Matth. 12. & Marci 3.* docet, peccatum in Spiritum Sanctum esse blasphemiam in Spiritum Sanctum, hoc est, in gratiosam ipsius illuminationem. Unde & illud colligitur, peccatum, quod à magis & maleficis committitur, non esse in Spiritum sanctum, quia etsi homines illi nuntium remittunt Deo, tamen

tamen hoc speciatim non impugnat operationem Spiritus sancti, sed jus creationis & redemptionis, quo illi homines excidunt, idque vel ex malitiâ, vel ex paupertate, vel ex vindictæ cupiditate, vel ex voluptate fœdâ, vel ex superstitione, vel ex ambitione, vel ex melancholiâ.

20. Renati non peccant, scilicet ad mortem, & ita ut in peccato jaceant demersi, sed semetipsos conservant, per Dei nempe gratiam, neque malos turgit eos, scilicet seducendo totaliter & finaliter.


21. Parrhesia filiorum Dei est partim coram Deo, videlicet libertas loquendi in precibus: partim in corde nostro, ubi sunt varii dictatus fidei.

22. Totus mundus in malo jacet propter zizania, quæ sunt sparsa per totum mundum, jacet, inquam, in malo, id est, tanquam porcus demersus est in peccatum, adeoque subest imperio Satanæ.

23. Pronomen *Hic* (ἐγὼ) in isto axioma: *Hic est verus Deus & vita æterna*, refertur ad Christum, non verò ad Patrem. Id enim postulat subjecta materia, itemque copula & vita æterna, quia videlicet in antecedentibus Apostolus docuit Christum esse vitam æternam.

24. Idolum & imago æquè latè patent, si vim vocabulorum spectes. Itaque imago, quæ ad colendum vel repræsentandum Deum fit, æquè est idolum atque illa imago, quam aliquis habet pro Deo. Quamvis enim homines subtiles illis suis imaginibus negent divinitatem speculativè, quantum ad cognitionem pertinet, practicè tamen, id est, ipsomet cultu divinitatem illis attribuunt.

S



II. EPISTOLA JOHANNIS.

I. **J**OHANNES dictus fuit presbyter & theologus: presbyter ob ætatem, quia supervixit omnibus Apostolis, & autoritate summâ fuit præditus apud ecclesias Asiaticas. Theologus: quia deitatem ἰσὺς λόγος cum primis asseruit.

2. Vox *Electa* non est nomen appellativum, quo significetur tota ecclesia, sed est nomen proprium viduæ, cujus familiam Apostolus honoravit hâc tali dedicatione, ut patet ex circumstantiis.

3. Veritas manet in & cum fidelibus, hoc est, Christus unâ cum suis beneficiis oblatus in Evangelio, & collatus per gratiam Spiritus sancti. Itaque certi sunt suæ perseverantiæ & salutis.

4. Gratia, misericordia, & pax, quam Apostoli passim precantur est felicitas futura & præsens, ut rectè observat Mariana. Nam χάρις est gratia Deo gratos nos efficiens nihil tale promeritos. Id enim sibi vult vox misericordia. Pax autem est omnimoda felicitas, in primis autem pax conscientiæ.

5. Antiquitas doctrinæ est nota ecclesiæ, non verò antiquitas loci aut temporis nuda. Porro antiquitas doctrinæ duplex habet initium, revelationis, nempe in paradiso, & in Christo patefacto in carne.

6. Fideles ambulant in veritate, hoc est, habitus suos bonos demonstrant per actus crebros. Nam verbum Dei requirit homines practicos. Itaque vox πειρατεῖν , vel פְּלִיטָה psalmoi. apud hebræos significat morum energiam, consuetudinem agendi, & perseverantiâ in proposito.

7. Πλάνοι , id est, impostores sunt, qui homines transversos abducunt à legitimis & salutaribus mediis,
& pro

& pro iis obtrudunt nugas mangonizatas. Pro auro nempe carbones.

8. Hortationes non notant in certam sanctorum perseverantiam, sed acuunt ipsorum vigilantiam. Non enim pugnant cum promissionibus & fiducia, sed in illis confirmant, juxta regulam: *modi docendi neq; inter se pugnant, neq; etiam cum modis implendi.*

9. Fideles operantur suam salutem credendo, sperando, amando: non autem promerendo.


10. Merces filiorum Dei est plena, videl. vita æterna: vel non plena, ut sunt varia Dei beneficia in hâc vitâ, de quibus teneatur illud ex Augustino:

Nil Deus in nobis præter sua dona coronat.

11. Vita æterna est merces triplici ratione. 1. ratione meriti Christi. 2. quia promittitur tanquam merces omnibus illis, qui operantur in vineâ Domini. datur in fine laboris.

12. Christianis vitanda sunt commercia non necessaria cum impostoribus. 1. ne impostores confirmemus in falsâ doctrinâ. 2. ne nosmet ipsos exponamus præsentissimo periculo. 3. ne aliis demus scandalum. Itaque conversatio & salutatio civilis cum ipsis admittitur extra tres hosce casus.

13. Apostoli docuerunt partim scripto, partim vivâ voce. Scripto comprehenderunt substantiam doctrinæ: voce explicarunt illam ipsam substantiam & varias circumstantias addiderunt.



III. EPISTOLA JOHANNIS.

1. **G**AJUS proculdubio fuit Corinthius ille hospes Pauli & totius ecclesiæ, *Rom. 16. vers. 23.*
I. Cor. I. 14.

2. Sinceritas est communis omnium virtutum, quâ theologiarum, quâ moralium.

3. Christianum est votum juxta & studium, de quo Poëta ita canit:

Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.

Animæ tamen sanitas debet esse regula reliquæ fortunæ, ut loquuntur.

4. Testimonium est vel personæ & vocis, vel rei: illud sine hoc est nauci.

5. Testimonium est vel superius & majus: vel æquale & par, vel inferius & minus re testatâ.

6. Gaudium est spirituale, vel corporale: Spirituale respicit bonum Dei, nostri vel proximi: illud debet esse maximum, istud & hoc est majus vel minus.

7. Bona opera sunt *μισὴ*, hoc est, digna τοῖς *μισοῖς* καὶ τῇ *μισῇ*.

8. Caritas ordinata præfert fratres peregrinis. Non autem hos excludit juxta regulam: *Caritas est subalterna*.

9. Opera nostra debent esse digna Deo, hoc est, respondentia ipsius attributis & operibus, adeoque ipsi placentia.

10. Mensura mensurans officii ecclesiastici debet esse gloria nominis Dei, non verò turpe lucrum.

11. Stipendium sibi debitum potest pastor accipere vel non accipere, pro exigentiâ circumstantiarum. Sic in primitivâ ecclesiâ frequens fuit doctorum studium, ut gratis docerent, nempe ut vitarent scandalum, & gentes faciliores redderent ad amplectendum Christum.

12. Christiani sunt *συνεργῆ* seu cooperarii Dei, hoc est, organa per quæ Deus agit, & quæ acta à Deo agunt. sunt inquam cooperarii vel bonis operibus vel veritati, quatenus per ipsos veritas doctrinæ ad plures propagatur.

13. Johannes scripsit ecclesiæ, putâ Corinthiorum, ubi videlicet degebat Gajus, ista verò epistola non fuit canonica, utut fuerit divina. Noluit enim Deus ecclesiam gravare multitudine scriptorum.

14. Prima-


14. Primatus ecclesiasticus, scholasticus, politicus &c. est vel functionis vel ordinis, vel temporis, vel ætatis, vel donorum, vel denique honoris seu dignitatis, potestatis, & jurisdictionis. Quinque priora genera locum habere possunt & verò debent in ecclesiâ, postremum est illicitum, & ideò Diotrophes *φιλοπρωτεύων* reprehenditur. Ubi habemus picturam Diotrophis Romani, id est, Bonifacii tertii, qui primus affectavit & usurpavit titulum Episcopi OEcumenici.

15. Ejectio ex ecclesiâ est excommunicatio, quæ suum habet usum & abusum, ut in nostro Diotrophe videre est: ubi rursus est imago anathematis Romani.

16. Aliquis est ex Deo vel naturali generatione, ut Christus, vel creatione, uti omnia sunt ex Deo; vel adoptione & regeneratione; vel denique officio.

17. Boni bonorum testimoniis sunt, & ornandi & juvandi.

18. Johannes noluit scribere per atramentum, non quòd verbum Dei scriptum sit theologia atramentaria, sed quia maluit vivâ voce, partim explicare scripta, partim tradere agenda particularia.



EPISTOLA JUDÆ.

I. **E**PISTOLÆ hujus auctoritatem nonnulli vocant in dubium his ducti, an seducti, argumentis: quòd ejus author non sit apostolus: quòd Apostolorum scripta citet, quòd vixerit post omnes Apostolos, quòd citet libros apocryphos, quòd non extet in paraphrasi Syriacâ, quòd sit Epitome epistolæ posterioris Petri: denique quòd multi veterum ex canone illam excluderint. His rationibus opponantur hæc antidota. 1. phrasis illa, *Servus Jesu Christi*, est idem quod Apostolus, ut patet ex epistolâ Jacobi, præsertim quia hoc loco accedit epitheton frater Jacobi.

2. Quod citat Apostolorum scripta, inde colligitur, jam tum canonem apostolicum fuisse constitutum. 3. *Michæas cap. 4. v. 1. 2. 3.* adducit prophetiam *Esai. c. 2.* de verbo ad verbum. Sic Petrus *2. epist. cap. 3.* citat Paulum: ita Daniel citat Jeremiam, videlicet ad testificandum consensum, non verò ad conciliandum auctoritatem. 4. Etiam prophetæ citant Mosen, & Apostoli prophetas, sed omnes inspirati à Deo ad hæc dicta exinde sumenda. 5. Judas vixit simul cum Apostolis, & unà cum Johanne superstes fuit post omnes Apostolos. 6. Etiam in Veteri Testamento citantur libri qui non extant in canone, & Paulus adducit traditionem, *2. Tim. 3. vers. 8.* & *Hebr. 12. vers. 21.* Itaque traditiones istæ, quæ tum temporis erant quidem veræ & divinæ, sed nondum canonicæ, factæ sunt canonicæ per hujusmodi allegationem & sanctificationem. 7. Substantia & argumentum traditionum istarum habet fundamentum in scripturâ, utut ipsa verborum formula non occurrat. 8. Proculdubiò hæc epistola fuit in paraphrasi Syriacâ, sicut & Apocalypsis, sed injuriâ temporum & incuriâ amanuensium periit. Et verò hoc est argumentum minùs principale, quòd non potest militare contra argumenta principalia, quibus asseritur canonica auctoritas hujus epistolæ. 9. Hæc epistola habet plurima, quæ non occurrunt in secundâ Petri. Quòd autem vulgò dicitur ipsius epitome hoc fit *κατ' ἐπιτομὴν*. 10. Judicia particularia fidem rei publicam non possunt evertere. 11. Veteres plerique numerant septem epistolas canonicas, adeoque & hanc agnoscunt. Sed jam videamus unde colligi possit auctoritas divina & canonica alicujus scripti, adeoque & hujus epistolæ: colligitur autem ex persuasionem Spiritus Sancti, genio libri, & ecclesiæ traditione. Persuasio Spiritus Sancti est prima, naturâ, dignitate, & cognitione à priori. Traditio ecclesiæ est prima, tempore & cognitione à posteriori. Genius libri est in inscriptione & scriptione. Inscriptio continet personæ divinam vocationem, missionem, & inspirationem.

nem.

nem. Scriptio continet doctrinæ genus divinum, styli majestatem, doctrinæ consensum, & effecta: quò pertinet illud Eusebii: *Quòd vetus ecclesia scripta ἰσὺδ-σπιζάφα ex tribus notis agnoscebat & rejiciebat.* 1. Si in scripturis veterum, qui Apostolis immediatè successerunt, nulla eorum reperta esset mentio. 2. Si stylus deprehenderetur à stylo & dicendi consuetudine Apostolorum diversus. 3. Si doctrina à fide Apostolorum esset dissentanea.

2. Judas *Matth. 10.* & *Marci 3.* dicitur Thaddæus, quod nomen formâ Syriacâ Thaddai idem est, quod apud Hebræos Jehuda. Vocatur etiam diacriticè Leb- bæus, sive Lebbai, *Matth. 10.* id est, egregiè cordatus homo, sive corculum, ut olim Scipio fuit appellatus. Porrò appellatur filius Alphæi & frater Jacobi, non solum in hac salutatione, sed etiam *Luc. 6.* & *Actor. 1.* quia nempe celeberrimum fuit Jacobi nomen.

3. Servus Jesu Christi est vel vocatione tantum, vel ut Judas Iscariotes, vel vocatione & functione simul, ut noster ille Judas.

4. Tria ista Dei beneficia, vocatio, sanctificatio, & conservatio totum salutis negotium ponunt ob oculos, juxta has regulas. 1. Prævenit ac præparat nos divina gratia, antequam possimus: operatur in nobis, ut possimus: cooperatur nobis, quando ipsius dono jam possimus. 2. Vocamur ex electione Dei, non externâ solum vocatione verbi, sed internâ etiam & efficace Spiritus, quo personante fit ut mortui audiamus vocem Filii Dei & vivamus, *Johan. 5. vers. 25.* fugientes revocamur, inimici reconciliamur, alieni coaptamur in cœtum domesticorum. 3. Sanctificamur in Deo Patre: quia per sanctificationem venimus ad Patrem, adeoque sancti sumus apud Patrem per Filium & Spiritum Sanctum. 4. Quædam sunt à Spiritu Sancto, sed non cum ipso, ut dona & virtutes cum impiis: quædam sunt à Spiritu Sancto, & cum ipso, ut fides & bona opera in credentibus: quædam sunt cum Spiritu

Sancto, sed non ab ipso, ut piorum infirmitates: quædam denique nec sunt à Spiritu Sancto, nec cum ipso, ut peccata reproborum. 5. Conservamur in Christo tanquam in capite, ac proinde certi sumus de præfente gratiâ & futurâ gloriâ. 6. Hæc effecta operatur Sancta Trinitas, unus Deus communi operatione: Singularis autem est modus agendi, qui singulis convenit personis. Nam Pater vocat, sanctificat, & conservat nos in Filio per Spiritum Sanctum. Filius nos vocat, sanctificat, & conservat à Patre in assumptâ carne per Spiritum Sanctum. Spiritus Sanctus nos vocat, sanctificat, & conservat à Patre & Filio, per immediatam actionem. Eâdem ratione misericordia tribuitur Patri, pax Filio, & charitas Spiritui Sancto. Nam misericordia est fons omnium bonorum, uti Pater est fons Trinitatis: Pax est materia gaudii, uti Filius est gaudium Patris: charitas est vinculum, uti Spiritus Sanctus est vinculum Patris & Filii.

5. Misericordia Dei, quæ infinita est re, multiplicari non potest (quomodo enim infinito aliquid accedat?) sed ratione multiplicatur, cum nobis suo ordine, tempore, modo, gradibus, & incrementis à Deo exhibetur.

6. Aliquis est dilectus jure naturæ vel gratiæ: quod posterius intelligit noster Judas.

7. Gradus diligentia tres sunt: summus, medius, & infimus. Summo gradui opponitur culpa levissima; medio, culpa levis; infimo, culpa lata.

8. Communis salus dicitur tribus modis, 1. quia in communi proponitur toti mundo. 2. quia electi salvantur communi ratione, non enim aliâ ratione salvatur David, & aliâ ratione alius de grege Christianorum, sed communis est omnibus salutis ratio. 3. quia ratio salutis in Christo facilis est & expedita, *ergo* enim dicuntur quæ sunt facilia. E contra difficilis est ratio salutis, quando deserto Christo ad justitiam operum

p
& leg
9.
r: le
nita
ct, u
ra in
via o
cima
cati.
10.
& irr
sta f
s A N
tâ id
ritas
vern
E f
dei
ut i
rig
trad
II
bis e
phet
I
Dei
cert
dus
erit
I
dam
reips
pilo
14
idqu

perum respicimus, idque propter operum varietatem & legis rigidam exactiorem.

9. Necessitatem præstandi studii, tria solent adferre: lex naturæ, fides Christiana, & gratia officii. Lex naturæ omnes obligat, & necessitatem quandam injicit, ut alii procurent aliorum salutem. Fides Christiana in officiis charitatis operam consumit suam. Gratia officii (ut hoc in loco est gratia apostolatus) maximam necessitatem adfert iis, qui legitimè sunt vocati.

10. Fidei regula una duntaxat est, sola immobilis & irreformabilis, ut sunt verba Tertulliani. Regula ista fidei docente Judæ, est QUÆ SEMEL FUIT SANCTIS TRADITA. De hac fide semel traditâ idem Tertullianus ait: *principalitas veritati: posteritas mendacitati deputanda, id enim dominicum est & verum, quod prius est traditum; id autem extraneum & falsum, quod posterius est dimissum.* Et de rebus fidei nemo aliunde suadere potest, nisi ex literis fidei, ut idem ille ait. Ideò Cyprianus ad radicem atque originem traditionis dominicæ, omnibus novellis & traditionibus humanis valere jussis, jubet reverti.

11. Fides semel est tradita quantum ad substantiam; bis est tradita, quantum ad gradum, videlicet per prophetas & Apostolos.

12. Fides semel tradita est thesaurus & depositum Dei apud ecclesiam. Oportet itaque nos fortiter decertare pro fide semel traditâ, quia nempe Satan & mundus hunc talem tantumque thesaurum conantur nobis eripere vel astu vel æstu.

13. Hostes fidei aut sunt intus aut foris. Nam quidam se tanquam lupi intrudunt in ovile Christi, idque reipsâ, studio, vitâ, & doctrinâ: reliqui non stylo, sed pilo nocent.

14. Impii sunt jam olim descripti ad judicium suum, idque forensi ratione. Nam quemadmodum judex in

consilium mittit, cognoscit, iudicat, & in acta referri curat iudicium sub tempore exequendum, ita visum est Spiritui Sancto sapientissimam illam Dei administrationem in iudicandis hominibus hâc viâ sapientissimâ & iustissimâ, quæ apud homines in iudiciis servari solet, figurare, ut sapientia, æquitas, veritas, constantiaque adumbretur iudiciorum Dei in sempiternum permansurorum, & hoc quidem significat vox *μεγαμμέ οι* (scilicet *κερικῶς*) sed præpositio *ωε* in illâ ipsâ voce, itemque vocula *πάλα*, notant sententiam Dei ab æterno in mente Dei conceptam. Itaque homines dicuntur jam antè descripti non ratione prædictionis propheticæ, quæ facta sit in tempore, sed ratione præcognitionis divinæ, quæ facta est ante tempora, hoc modo. Prædestinatio Dei est actio Dei, quâ ille velut in libro scribit vel non scribit. Hic liber in scripturâ dicitur liber vitæ, in quo qui scribuntur, dicuntur electi, qui non scribuntur, reprobi, *Dan. 12. Philip. 4. v. 3. Apocalyps. 3. v. 17. 20. 21. 22.* Itaque electio est scriptio in libro vitæ, reprobatio est deletio, utraque includit tres actus pulcherrimè sibi subordinatos. Nam in electione Deus & vult ostensionem misericordiæ, & designat certos homines ad salutem, & præparat ipsis media; in reprobatione & vult ostensionem iustitiæ, & certos homines designat, quos non eligit, & præparat media, putà permissionem peccati & derelictionem in peccato. Utrobiq; itaque cernitur secretio & præparatio. Secretio habet fundamentum in liberrimâ Dei voluntate. Præparatio gratiæ & gloriæ in electione est indebita. Præparatio in redemptione est præparatio pœnæ, eaque debita. Nam omnes homines, quâ peccatores, erant reprobabiles & damnabiles & ita objiciuntur Deo prædestinanti. Quòd autem illa potentia in aliis non exit in actum, in aliis autem exit, hoc acceptum ferendum est voluntati Dei quæ sibi ipsi est causa.

15. Tres sunt gradus peccati in hypocritis, qui sunt

fint i
est va
no t
zete
vel a
iâ,
16
inun
ptur
pella
cam
doni
co o
mon
tion
stra
Ch
pec
rib
cab
Isra
los
por
per
tur
ha
ho
na
cer
& c
pte
cato
2
falv

sunt in ecclesiâ Dei palea. 1. est impietas, quâ homo est vacuus omni pietatis studio. 2. securitas, quâ homo transfert gratiam Dei ad lasciviam, hoc est, sub prætextu misericordiæ Dei captat licentiam peccandi vel aliis præbet. 3. Abnegatio Christi, quæ fit doctrinâ, ritu, vel vitâ.

16. Duo sunt summa capita doctrinæ de Christo, unum de personâ, alterum de officio. Personâ in scripturis designatur tribus modis: quando Christus appellatur Deus vel homo, vel Immanuel seu Deus in carne patefactus. Officia designantur fine, vocatione, donis, operatione, & administratione. Finem hoc loco ostendit nomen Jesus. Vocationem & dona demonstrat nomen Christus: operatio respondet vocationi & donis. Denique operatio præstatur administratione. Atque hoc est quod dicit Apostolus, quòd Christus sit herus & dominus; nempe ratione dominii, peculii, & œconomix.

17. Notitia certa & infallibilis semel datur credentibus, hoc est, datur decreto & beneficio Dei irrevocabili.

18. Magna est vis inductionis dialecticæ. e.g. Deus Israëlitas, Angelos malos, Sodomæos, aliosque malos perdidit. Ergo malos omnes malè perdidit. Hinc porrò talis oritur Syllogismus: malos omnes malè perdidit Deus. Hi mali sunt. Hos igitur malè perditurus est.

19. Peccatum, supplicium, & author supplicii Deus, hæc inquam tria perpetuam inter se habent analogiam, hoc modo: peccatum ex se parit reatum culpæ & pœnæ: culpam Deus punit, librando peccatum & pœnam certâ proportionem. Quemadmodum itaque incisionis & cauterii causa est & morbus & medicus, & hic propter illum: ita pœna, quam Deus irrogat, oritur ex peccato, & Deum omni accusatione liberat.

20. Deus σωζει, hoc est, non solùm servat, sed etiam salvat, vel non solùm ex malis eripit, sed in boni quo-

que possessionem mittit. Rectè itaque Calvinus in harmoniâ evangelistarum ait: *Nomen σωτήρ plus Græcis significat, quàm Latinis Servator, nempe qui non solum semel liberat, sed perpetua salutis est author.*

21. Infidelitas est negativa vel positiva, utriusque speculum sunt Israëlitæ in deserto. Nam minoribus viginti annis pepercit Deus, reliquos excidit.

22. Beneficium est opus Dei proprium: iudicium est Dei opus peregrinum. Huc pertinet regula Germanorum: *Quando Deus punit, facit opus alienum.*

23. In angelis malis occurrit origo, defectio, & pœna. Origo est ratione naturæ & gratiæ. Illam angeli mali retinuerunt, hanc non item. Nam diabolus est malus ab initio, non utique creationis sed defectiois. Ita verò defectio est gemina, prima, quòd Angeli isti non servarunt originem, id est, dona ex creatione: secunda, quòd domicilium suum relinquerunt. Primum itaque Diaboli peccatum est, quòd originariæ suæ conditioni atque stationi renuntiavit, non secus atque miles *λειποζικτης*. Sed inquis, cur Deus hoc malum non impedivit? potuit enim, itaque & debuit. Sed, inquam ego, angeli debebant ex officio & dono creationis bene collocare suum talentum. Deus autem hoc non debuit præstare, quia quod Deus debet, ex suo beneplacito debet, adeoque ex fœdere. Deinde angelorum quorundam in bono confirmatio non fuit debitum meriti alicujus stipendium, sed gratuitum Dei liberalissimi præmium. Superest pœna malorum angelorum, quæ est privatio boni, custodia sub caligine, & æternus cruciatus. Privatio boni est, quòd ubi semel ab origine & domicilio suo discesserunt, utrumque ita amiserunt, ut nullus eò reditus ipsis pateat. Deinde quamvis in mundo hinc inde oberrent; tamen catenis custodiæ suæ semper tenentur constricti, nec latum pedem excurrere, aut movere quicquam possunt, nisi prout catenam voluerit Deus laxare. Huc pertinent istæ duæ regulæ. 1. *Magna Satana est potentia, sed non maxima*

maxima

maxima, sed sub Dei omnipotentiâ. 2. Diabolus facit quod potest, Deo permittente; quod potest, non facit, Deo non prohibente. Porro hoc ipso custodiæ tempore circumfusus est suâ caligine, id est, tenebris malitiæ suæ, imprimis autem catenæ istæ astringentur in magno illo judicii die, qui est magnus quantitate, quia finem non habet, & magnus qualitate, quia est jucundissimus juxta & tristissimus, magnus denique actionibus, quibus Deus se magnificabit in sanctis & non sanctis.

24. Scortatio est corporalis vel spiritualis. Illa tribuitur Sodomæis: hæc Israëlitis & angelis malis, utriusque enim à Deo defecerunt, quæ quidem defectio appellatur scortatio, quia est fœderis inter Deum & creaturam rationalem violatio.

25. Sodomæi sectati sunt carnem alienam, quando se contaminarunt prodigiosâ libidine, quæ hodieque nomenclaturam suam ab illis obtinet.

26. Sodomæi sunt propositi exemplo in omnem posteritatem, dum sustinent pœnam ignis æterni, hoc est, adhuc dum durantis & æternum ignem figurantis.

27. Homines partim lethali somno seipso ultrò sopiunt, etiam in mediâ luce beneficiorum & judiciorum Dei, partim somniis & commentis suis decipiunt & decipiuntur, ut dormientes solent.

28. Magistratus in abstracto est potestas & functio ipsa, seu potius functio cum potestate, & potestas cum functione. In concreto notat illum, qui constitutus est functionis istius cum potestate administrator. Neutro modo licet magistratum convitiis incessere. Nam hoc tale peccatum est blasphemia, & ea quidem in Deum, non immediata, sed mediata. Quid verò? Si magistratus malè administret suum officium? an & tum est honorandus? *ꝛ. cogitetur hîc regula: amicus persona & causa bona, inimicus causa mala.*

29. Substantia narrationis de Michaëlis & Satanæ conflictu sumpta est ex *Deut.* 24. Circumstantiæ sunt ex traditione publicitus tum temporis receptâ: circumstantiæ inquam personarum, dicti, & facti.

30. Michaël dicitur vel absolutè vel essentialiter, atque ita est nomen filii Dei, in quo essentialiter est nomen Dei. *Exod.* 23. v. 21. vel comparatè & accidentaliter, & ita rursus usurpatur vel *κρείως*, de illo qui dignitate aliquâ ad Deum accedit, & vicem ejus apud alios fungitur vel *ἀκρίως*, id est, per catachresin. Priori modo Angelus appellatur Michaël, posteriori homo.

31. Michaël, qui hoc loco contra diabolum pugnat, aliis videtur Christus, ut Junio, qui vicerit diabolum, quomodo factum legimus *Matth.* 4. Aliis est angelus princeps, quæ interpretatio est potior, quia describitur modestia istius angeli, quæ indigna foret Christo.

32. Inter angelos est ordo, & quidem inter bonos angelos est ordo Hierarchiæ: inter malos autem est ordo pseudomonarchiæ. Nam hîc fit mentio & Archangeli & diaboli tanquam duorum principum.

33. Consilium Dei facit, ut corpus Mosis sepeliretur, sepultumque maneret, nemine conscio: sed consilium diaboli fuit, ut aut non sepeliretur, aut omnibus notus esset locus sepulturæ. Triumphat enim diabolus exultatque in hoc argumento, & Deus sibi videtur esse, cum sanctorum corpora, cineres, ossa, & similes reliquias objicit materiam idololatriæ. Alii per corpus Mosis intelligunt sacerdotium Christi, quod est corpus umbrarum Mosaicarum: alii pro voce Moses substituunt nomen Jesus. Sed utraque hæc interpretatio est coacta. Cæterum quod attinet ad corpora sanctorum, illa sunt honoranda honore sepulturæ, non autem cultu aliquo religioso, quia si essent honoranda cultu religioso, ipsis competeret cultus religionis actu aut elicitu aut immediato, aut mediato: non illo, quia
hic a-

hic actus infertur in essentiam Dei : non hoc , quia hic actus à Deo est præceptus , tanquam opus charitatis.

34. Formula ista, **IN CREPET TE DOMINUS**, nobis est adhibenda in conflictu cum diabolo , sive ille sit theoreticus , sive practicus. Ibi futiles subtilitates, hic impuras cogitationes suggerit homini.

35. Ignorantia est juris vel facti. Ignorantia juris est nescire , quid juri sit consentaneum. Estque juris naturalis vel positivi, hoc est, divini vel civilis. Ignorantia facti est nescire id quod sit aut factum est. Quæ rursus est facti proprii vel alieni. Ignorantia juris naturalis nemini patrocinatur. Ignorantia juris civilis in lucro captando nihil prodest , in damno vitando nihil obest. Ignorantia juris divini est legis vel evangelii. Neutra excusat coram Deo : quia lex est hominibus insita , & illius rectus usus debebat illos ad evangelium perducere. Ignorantia facti proprii est intolerabilis, facti alieni est probabilis, & excusat, nisi forte sit affectata.

36. Notitia duplex est : una intellectus , quam dicimus scientiam ; altera voluntatis , quæ appellatur agnitio. Utrovis modo homines non noverint ea , quæ noscenda sunt, in culpâ sunt. Nam sive res cognitu necessarias incessant conviciis, quia nesciunt, incivile est atque iniquum: sin verò, quia respuunt, id malitiâ & improbitate non vacat.

37. Scientia est physica vel hyperphysica. Scientia physica rursus est sensitiva vel intellectiva. Sensitiva vel deficit ab intellectivâ , & illam inficit, vel ab illa perficitur. Priori modo est noxia. Nam ita Apostolo nostro *scire quæ inanis* est scire, ut brutæ animantes, & rationis expertes sciunt, id est, non consilio ullo, non ratione humanâ, non spiritus divini luce, sed cæco naturæ impetu, & belluino motu, qui hâc scientiâ ducuntur, seducuntur. Nam in iis quæ sciunt, seipsos corrup-

punt, id est, ipsi ruunt in mortem & corruptionem, adeò, ut sese veluti præcipitent, quemadmodum pisces escâ visâ, aut mures olfacto lardo seipsos in hamum & muscipulam inferunt. Quæ cum ita sint, id opera danda est nobis, ut scientiam sensitivam perficiamus per intellectivam, & hanc per hyperphysicam.

38. Viâ Caini incedere, nihil est aliud, quàm impietate erga Deum & improbitate erga proximum abripi.

39. Merces Bileami est merces pseudoprophetiæ: adeoque iniustitiæ.

40. Contradictio Coræ & ipsius complicum, non fuit infirmitatis, sed perversitatis, quam appellant remurmurationem.

41. Verba ista, *Væ illis*, non sunt malè precantis, aut iudicium ferentis, sed partim comminantis, partim prædicentis. Comminationem imitari possunt, qui aliis instituendis præsumunt; prædicationem non item.

42. Cainitæ sunt hypocritæ, quia ad tempus externâ professione conjuncti sunt cum verè credentibus in Ecclesiâ, sed interim flagrant invidentiâ erga fratres, quæ tandem erumpit in violentiam & conscientiæ dedolentiam.

43. Balaamitæ sunt, qui non ignorant quid sit faciendum, sed lucri amore superati nullis admonitionibus divinis, ne asinæ quidem, commoventur.

44. Coritæ sunt qui ambitione elati, & prætextu publici boni contemnunt sibi propositos, sed tandem malè pereunt.

45. Judas tribus exemplis, & quatuor similitudinibus confirmat istam regulam: *Vitia & maleficia impiorum tandem provocant exitia & supplicia.*

46. *Ἀγάπαι* erant publicæ collationes, quibus ditiores Christiani in primitivâ ecclesiâ, peractâ sacrâ Cœnâ,

Cœnâ, invitabant ~~pauperes~~, ut hoc ipso testatum facerent sacram Cœnam esse epulum meræ charitatis. Sed falsi doctores illis abutebantur ad luxum, atque ita privabant pauperes. Ita Episcopi, Abbates, Canonici involant bona ab ecclesiis instituta, hoc nomine, ut sustentetur ministerium, & pauperes alantur; atque ex iis helluantur, & tantùm non pergræcantur.

47. Falsi doctores sunt nubes sine aquâ, & quæ à vento agitantur, id est, vanâ ostentatione & instabilitate internoscuntur à veris doctoribus, qui docere possunt, & sunt constantes.

48. Falsi doctores sunt arbores putres, infrugiferae, bis mortuæ, & eradicatæ, hoc est, incurabiles & desperati, ubi observa arbores bis mortuas, dici ratione fructus & substantiæ; ita falsi doctores sunt funera viventia, quibus est libido moriendi, non in corpore, sed in corde, ut ait Augustinus.

49. Falsi doctores sunt fluctus maris despumantes sua dedecora. Excitant enim turbas contra Evangelium, sed uti fluctus allidendo ad rupes nil nisi infamis spumæ maculas relinquunt.

50. Falsi doctores sunt stellæ erraticæ, hoc est, cadentes seu deciduæ. Nam præ se ferunt lucem speciosam, sed mendacem & instabilem.

51. Caligo tenebrarum in inferno pervertit omne lumen corporis & spiritus, adeoque excludit lumen naturæ, gratiæ, & gloriæ.

52. Prophetia est vel interpretationis, *i. Cor. 14.* vel prædictionis. Et hæc prophetia est triplex. Aut enim utitur verbis sine imaginibus, ut Enochus hoc loco, aut imaginibus utitur, & addit interpretationem, ut Daniel, aut denique solis constat imaginibus, ut Apocalypsis. Rursus prophetia est ἀγγελος vel ἑγγεφος. Prioris generis est prophetia Enochî, quam adducit Judas, tum quia substantia & fundamentum ejus est

T

in scripturis, tum quia Enoch ~~foi~~ septimus ab Adamo, quæ tempora plurimum religionis & auctoritatis obtinebant apud illos, quos Apostolus perstringit.

53. Adventus Domini ad iudicium cernitur in certitudine & modo ipsius. Certitudo nititur iustitiâ Dei remunerante & vindicante, itemque prædictione ipsius. Modus est in personis & processu. Personæ sunt iudex, assessores, & iudicandi. Processus est in cognitione fori & executione sententiæ.

54. Impietas posita est in habitu & actu, & actus vertitur in operibus & dictis malis.

55. Murmur adversus Deum est, quo homines obloquuntur & oblatrant iustissimæ & sapientissimæ administrationi Dei, eique tum universali tum particulari.

56. Incedere secundum cupiditates suas, est sequi ductum & dictamen carnis.

57. Prætumida loqui, est adhibere modum & genus dicendi tumidum, & nil nisi subtilitates spinosas crepare.

58. Personas admirari, est externam larvam in hominibus laudare, & quidem propriæ utilitatis causâ.

59. Inter notas divinitatis verbi Dei excellit consensus propheticus & Apostolicus, itemque complementum prædictionum.

60. Irrisores sunt, qui providentiam Dei & ipsius doctrinam elatâ manu ludificantur.

61 Segregatio in scripturis occurrit duplex: una est necessaria ad salutem, altera saluti est adversaria. Prior illa est, quâ Deus nos segregat à mundo per vocationem, & quâ nos ipsos segregamus per sanctificationem. Hæc posterior est, quâ homo se segregat à Deo vel ab ecclesiâ. Istiusmodi autem segregatio fit clam
vel pa-

vel palam, de ~~causa~~ vitâ, vel utrâque. Denique est simplex segregatio, vel conjuncta cum novi cœtus conciliatione, quæ vulgò secta appellatur.

62. Homo ψυχικός est, qui sola naturali luce præditus, non habet spiritum, id est, donum spiritus informantis & reformantis.

63. Fides, spes, & charitas semper cohærent & se invicem adjuvant hâc ratione. Actio fidei est ædificatio interna coram Deo, & externa coram hominibus. Illa est, quâ homo virtute Dei & ministerio hominum ædificari se finit, ædificandum se exhibet atque ædificio applicat. Hæc est, quâ fides ex se parit charitatem & precessionem &c. Spes est posita in expectatione misericordiæ Dei, cujus complementum est in vitâ æternâ. Charitas est in operibus misericordiæ, justitiæ, & pœnitentiæ.

64. Personæ, quæ peccant, & quas curare debemus, aut ex ignorantia simplici & infirmitate peccant, aut ex ignorantia supinâ & crassâ, adeoque ex malitiâ: ibi opus est curatione leni: hîc acerbâ & terrificâ. Lenis curatio perficitur misericordiâ, id est, lenitate & discretionem spiritus. Acerba curatio constat terrore, non humano & civili, qui proficiscitur à magistratu: sed divino, qui perficitur comminatione legis & evangelii.

65. Reprehensio est vera vel personata. Illa, cùm quis primò se ipsum reprehendit, & postea alios. Hæc est, cùm quis alios tantum reprehendit, & contaminatam suam tunicam non aspicit.

66. Tunica, quæ à carne commaculatur, quamque homo debet habere odio, ita dicitur phrasi ceremoniali, & quidem ita, ut Apostolus proculdubiò respiciat tunicam justitiæ geminæ, quam habemus in Domino nostro Jesu Christo.

67. Epiphonema, quo Apostolus epistolam suam claudit, absolvitur attributis Dei & operibus tum gratiæ, tum gloriæ. Attributa quatuor de Deo enuntian-

tur, gradatione elegantissimâ; quæ nempe gloria Dei tanquam summus gradus & ultimus finis primo ponitur loco, tum commemorantur magnificentia & potestas, quibus ad summum illum finem omnia perducuntur. Opera gratiæ continentur hoc veluti fasciculo, quòd Deus nos servat immunes à lapsu, ne excidamus gratiâ utut sæpenumerò cadamus. Opera gloriæ sunt in hoc colophone, quòd statuendi sumus in conspectu gloriæ ejus, ita ut simus absque omni labe, & versemur in perpetuâ exultatione.

F I N I S.



